



AD HERNANDVM MEDICEM  
 CARD.<sup>us</sup> ILLVSTRISS.<sup>imus</sup> REVER.<sup>endus</sup>  
 AC FELICISSIMVM

De felicitate Urbis Florentiæ  
 ORATIO


*F. Bartholomæi Baphij Lucinianensis Conuentualis  
 Franciscani, & sacre Theologiæ, Philosophiæ,  
 & Eloquentiæ studiosi*

Pro gratiarum actione in comitiis generalibus, &  
 prouincialibus ab eodem FLORENTIÆ  
 habita III. Idus Iunii MDLXV.



Bononiæ, apud Io. Rossum.  
 MDLXV.





ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

HERNANDO MEDICI S. ROMANÆ  
ECCLESIAE CARDINALI

*humilis seruus F. Bartholomæus Baphius  
Lucinianensis S. P. D.*



IV, multumq; cogitavi, nobilif-  
sime Antistes, cui orationem  
hanc, quã superioribus diebus  
de tuæ vrbis felicitate habui, pe-  
tissimũ dicare deberem, cuius  
præsidio munita, ac septa in lu-  
cẽ posset prodire, seq; ab homi-  
nũ seueritate vendicare. sed tu vnus occurristi, cui eã  
maximè cõgruere existimarem: tũ quòd summa tua  
benignitate honestum locum apud te habituram es-  
se, ac luminis tui splendorem lucem ei esse allaturum  
speraui: tum quòd nulli de felicitate orationem nisi  
tibi felicissimo conuenire quasi ea, quæ oculis cernũ-  
tur, vidi. Nam, & si aliqua, quæ non nisi à uiris exacta  
ætate præstari possunt, tibi per ætatem perficere non  
licet: quis tamen iustus rerum æstimator abs te om-  
nia bona non speret, de te sibi omnia summa non pol-  
liceatur, siue patriam, siue genus, à quo ortum du-  
cis, siue maiores tuos, siue parentem, aut te etiam  
ipsum sibi proponat? Primum tibi ea patria obtigit,  
quæ dignitatis, & virtutis perpetuum est domici-  
lium, genus uerò tam illustre, quàm quod maximè:  
propterea quòd in omni virtutum genere familiam  
A 2 ducit,

ducit, & pater eiusmodi, qualis, ut arbitror, nemo vnquam erit, & vt confirmare possum, pauci admodum fuerunt: Tu verò ex his maioribus, ex hoc parente ortus, cum pulchrum duxeris ne vestigiū quidem ab illorum virtutibus discedere, te ab initio ætatis talem præstitisti, tale nobilis, ac generosi animi specimen dedisti; ut omnes te tanto genere, ac tam sapiente patre filium dignissimum iudicent. Etenim, ut parem ortui educationē haberes, optimis tuæ ineuntis ætatis instituendæ ducibus, ac magistris vsus iis artibus instructus es; quibus ad omne virtutis decus, quantum per ætatem licet, informatus es; eosq; progressus fecisti, ut euolare non excurrere visus sis. & mehercule non iniuria: quem enim Deus Opt. Max. in altissimum dignitatis locum collocandum statuit, ad omnia virtutum genera finxisse credendum est. Cum igitur optima tuæ ineuntis ætatis fundamenta ieceris, & quod nunquam alteri contigit, in ipsa pueritia in amplissimum orbis terræ collegiū sis cooptatus; quis non videt te, & felicissimum esse, & semper fore, & ea omnia singularia, quæ in patriā tuā conueniunt, in dies magis expressurum? Hæc fecerunt, ut munusculum hoc non reuera tua persona dignum, nec quale velim, sed quale possum, tibi mitterem: vt meæ tamen perpetuæ in te obseruantia tanquam pignus accipias, te etiam, atq; etiam rogo. Vale, teq; Deus Opt. Max. tuæ ciuitati ciuitatemq; tuam tibi quàm diutissimè conseruet. Dat. Bononiæ Idibus Iunii MDLXV.

# BARTHOLOMAEI BAPHII LVCINIA

NENSIS CONVENTVALIS

FRANCISCANI

## *De Urbis Florentiæ felicitate*

ORATIO.



**P**XPECTATAM iampridem, atq; exoptatam, Viri Florentini, nobilissimæ, ac felicissimæ Urbis uestræ inuisendæ occasionem aliquando esse oblatam D. Francisci familia immortaliter gaudet: Nam, etsi nullū unquam tempus fuit, quo in complexu, ac sinu uestro non fuerit: diuino tamen consilio factum puto, ut ex omnibus prope modum Europæ regionibus tam frequentes conuenerimus, quò communi omnium uoce, & sapientissimo uestro Duci, benignissimoq; Principi, & ciuibus uniuersis gratias quales possumus, non quales debemus, præsentem ageremus, & animorum nostrorum in hanc Ciuitatem propensionem, & charitatem omnibus planam, ac perspicuam faceremus, de eius summa felicitate gratularemur, & quantum in nobis situm est, prædicaremus: Quid enim magis debitum, quàm, cum non possis optimè de te merito, ac merente parem gratiam referre, saltem agere, atq; habere? cum præsertim in eo ipso, quòd habetur, gratia quodammodo referatur. Quid dulcius animo benè à natura informato, atq; instituto, quid suauius potest accidere, quàm uerbis coràm, si factis non licet, & fronte, quæ est animi ianua, obseruantiam,

*seruantiam, atq; amorem præferre in eum, quem admiratione quadam uirtutum diligit, & colit? Quid est magis hominis, quàm respondere in amore iis, à quibus prouocatus, & inuitatus quàm sæpissimè fueris? Quid magis ab eius officio, qui aliquo numero haberi uult, abest, quàm, cum tempus, & oportunitas fert, de illius felicitate non gratulari, deq; eius laudibus conticescere, cuius tanta est amplitudo, tanta apud omnes nationes nominis dignitas, ut in ore, atq; in amore omnium habeatur, nemoq; sit, qui eius altitudinem non admiretur, & suspiciat? Cùm igitur amplissima hæc Ciuitas uestra omnia summa officia in Franciscanã familiam nostram ab antiquis temporibus usq; ad hanc diem contulerit, & beneficia, ut dicitur, trabali clauo fixerit, ingrati profectò, ac immemores essemus, si eo, quo possumus, officio, non remuneraremus, & iustos, ac debitos honores uobis, ac Ciuitati uniuersæ non tribueremus: Sed hæc prouincia cùm à pastore familie nostræ optimo, & omnium gratissimo Antonio Augustano tradenda esset. uiro multo ornatissimo, & eloquentissimo, accidit perincommodè, quòd, cum multos omni uirtutum genere præstantes haberet, mihi eam imposuit; paterno enim quodam amore adductus multò plus, quàm concedit ueritas, largiri consueuit. Ego uerò rei magnitudine, & usu mediocri ingenii minimè uoluntati paris præclarè omnium noui multò plus honori meo me consulturum fuisse, si onus hoc tam graue recusassem, & tanquam clitellas, ut est in prouerbio, boui impositas deposuissem. propterea quòd huiusce urbis nominis splendor, cuius uis egregii oratoris animi aciem perstringeret, ac mentis quasi luminibus officeret eius felicitatis, & gloriæ altitudo:*

DE FLOR. FEL.

titudo: Quid enim est in ullo genere tam admirabile, quo non admirabilior sit hæc Ciuitas? Quid tam præstans, atq; nobile, quo non ipsa sit & præstantior, & nobilior cum eius felici ortu, & summa religione, tum rerum gestarum gloria, & clarissimorum uirorum in quouis genere copia? Cuius imago tam pulchra, tamq; sublimis est, ut non modo ore aliquo erudito exprimi non possit, sed ne cogitatione quidem, ac mente effingi. Sed quoniam, quæ Pastor mihi meus imperauit, subterfugere impium, & nefarium duxi, non omnino inuitus munus hoc suscepi: tum quòd ea humanitas uestra est, atq; benignitas, ut non tam id, quod est debitum, quàm uoluntatem debitoris perpendatis, quiq; equi, boniq; faciatis, quod ab optimo, & integerrimo animo proficiscitur; tum quod amplam me occasionem esse naetum sensi, ut de superiori loco mihi aliquando licuerit iamdiu debitum, ac iustum officium pro summis, & innumeris meritis magnificentissimæ Ciuitatis huius in Diui Francisci familiam, & in patriam meam Lucimanum præstare, & meam in uos omnes uirtutesq; uestras perpetuam obseruantiam patefacere. Quòd si multa, quæ ad huius Urbis gloriam pertinent, intelligentiæ meæ uim, & notionem effugient, & breuiter attingam genera eorum, quæ à nobilissimis scriptoribus, copiosè fuse, lateq; literis consignata, monumentisq; mandata, quæq; uobis perspectis, & cognita sunt; quippe cum probatorum pictorum similes sitis, qui multa uident in umbris, & in emmentia, quæ nos non uidemus: spero tamē, atq; confido uos mihi ignoturos esse, qui, tanquam in aliquam locupletissimam, ac omnium ornamentorum plenissimā domum sum ingressus non explicatis uestibus, neq;

proposuo



proposito thesauro, neq; tabulis, & signis propalam collocatis, sed  
 his omnibus magnificis rebus constructis, ac reconditis, quas cum  
 contemplari cuperem, propter ingentem earum magnitudinem, &  
 multitudinem, mediocrem uix partem aspiciendi facultas fuit. Sed  
 in rebus maximis, ac difficillimis abundè gloriosum puto nulli uo-  
 luntatem, curam, diligentiam, laboremq; tuum desiderandum reli-  
 quisse. Dicam igitur pro tenui illa, infirmaq; parte, qua poterò, de  
 patrie uestrae felicitate, quam ab eius ortu ad hanc usq; diem in-  
 tra huius urbis mœnia habitasse, & tanquam Dominam, ac Re-  
 ginam in matronarum uirtutum cœtu extitisse, eiq; ancillulas,  
 quæ ministrarunt, præsto semper fuisse, multis, ac firmis ar-  
 gumentis, & rationibus, quàm breuissimè poterò, patefaciam,  
 in apertumq; proferam, non ut aliquid addam, sed ut ea, quæ  
 in re dispersa, atq; infinita uidentur esse, ratione, & distri-  
 butione sub uno aspectu ponam. Itaq; in hac re non tam copiam,  
 quàm modum quærendum esse intelligo. Vos uerò, uiri nobilissimi,  
 atq; omnium humanissimi, etiam, atq; etiam rogo, ut attentè, ac  
 benignè audiatis: non enim de transalpinarum, aut transmari-  
 narum urbium gloria, sed de uestra, non de alienorum reli-  
 gione, non de rebus gestis externarum gentium, non de uiris il-  
 lustribus Græciæ, non de aliorum, sed de uestrae huius dulcissi-  
 mæ patrie felicitate dicam. Sed antequam de re dicere inci-  
 piam, quid, & qualis felicitas sit, explicandum est, ut dilu-  
 cidius, quod propositum est, percipiatur: Principis enim co-  
 gnitis multo facilius, quæ deinceps explicantur, utiq; intelligun-  
 tur. Omnes igitur homines cuius uis loci, atq; ordinis sint, in  
 hanc sententiam sua spontè deducuntur, ut bene uiuere, bene  
 agere,

agere, & felicem esse eadem esse, & felicitatem omnium rerum  
 agendarum supremum bonum putent: Sed quæ nam sit, inter se  
 uehementer dissentiunt: Quidam enim uoluptatem, quidam di-  
 uitias, non nulli honores, uel quidpiam aliud esse affirmant:  
 Atqui ista dicunt in numero Sapientum habendi non sunt:  
 Nemo enim qui rectè utatur ratione in hunc errorem incidet,  
 ut Sardanapali uitam felicem esse arbitraretur, aut diuitem, &  
 locupletem: cum diuitiæ non propter se expetantur, aut cum,  
 qui in pretio, & in honore habetur, cum honor magis in eo, qui  
 afficit, quàm in eo qui afficitur, esse uideatur, & interdum uel in-  
 dignis honores habeantur; felicitas uerò finis cum sit, optimum,  
 & perfectum, quiddam esse uidetur, & cuius gratia sunt omnia:  
 Quid enim aliud est causæ, cur uoluptatem, honorem, diuitias,  
 mentem, uirtutem deniq; omnem expetamus, quàm propter  
 felicitatem? quæ est operatio animæ intelligentia præditæ per  
 uirtutem optimam, quæq; tantam uim, efficacitatemq; habet,  
 ut omnes sibi uirtutes asciscat, nec unquam honesta uoluptas ab  
 ea diuellatur, externis tamen bonis indigere uidetur: fieri enim  
 non potest, aut non facile fit, ut is res agat præclaras, cui fa-  
 cultates defunt: multa enim per amicos, per diuitias, per ciuilem  
 potentiam tanquam per instrumenta aguntur. Qu' d si aut no-  
 bilitate aliqua, bona prole, pulchritudine etiam caret labe-  
 culam quandam felicitati aspergere uidemur. Sunt enim hæc or-  
 namenta quædam, atq; instrumenta, quæ lumen quoddam, ac  
 splendorem felicitati asserunt. His autem omnibus, quæ felicitas  
 postulat, cum abundè, ac plenè hanc urbem semper floruisse,  
 ac uiguisse probaui, satis intelligetis me non auribus alicuius

d. indi gratia, sed ueritate adductū iure optimo ad eius felicitatem prædicandam accessisse. Florentiæ felicitas ab initio sui ortus cæpit, matrem eius Romam lucem orbis terrarum, atq; arcem omnium gentium, & reginam fuisse inter omnes constat: Etenim, ut memoria proditum est, cum Octavianus Augustus, M. Antonius, & M. Lepidus Pont. Max. triumuiui rerum potiti essent, hanc urbem Coloniam deduxerunt, Coloni autem deducti centurie Cæsariæ fuerunt, quibus assignata sunt ducenta iugera per cardines, & decumanos. Quare si Athenæ Mineræ nomine tantopere laudantur, si Apollo Delphos, si Bacchus Thebas celebres reddiderunt, quanto honori huic urbi ascribendum est, ut sit consecuta, quod nulli urbi unquam contigit, ut à tribus Imperatoribus, quorum unus omnium maximus, quot sunt, & quot fuerunt, et quot post aliis erunt in annis, alter uerò Pontifex Maximus fuit, originem habuerit, & fortissimi uiri ad eius sobolem propagandam uenerint. Nomen uerò ei quàm nobile, quàm præclarum fuit impositum? Profectò non casu aliquo, sed consilio, & iudicio singulari, ac propè diuino id factum quis non uidet? Siquidem Florentia appellata est, tum quòd ab Vrbe Roma omnium flore, initium duxit, tum quòd quasi ad effigiem, & Romæ simulachrum condita est, tum quòd eo in loco, qui floribus redundat, sita est, tum quòd fortissimorum uirorum flos ad eam incolendam est missus, tum denique quòd totius Italiæ urbium (absit uerbo inuidia) florè præuisum fuerat fore. Quamobrè & lilium florum pulcherrimum, & Leonem fortissimum animalium, & Herculem propter eius amplitudinem in Deorum numerum relatum, insignis accepit. Est autem hæc urbs eo in loco collocata,

qui

DE FLOR. FEL.

qui deliciarum plenissimus est, pulcherrima inconualle, planissimo in loco explicata, natura, & situ, & descriptione, & uenustate in primis nobilis, agri iucundi, & fertiles, cœlum salubre ex una parte subtile, quod acutissima ingenia, ex altera aliquantū graue, quod memoria insignes uiros gignit, colles amœnissimi ex utraque parte eminent, omni fructuū genere referti: mitto mœnia urbis, quæ magno artificio olim constructa sunt, & turribus rotundis ex lateribus confectis ornata: nunquam enim hæc formam habuit, ac speciem nisi urbis: In iis autē turribus, nobilissimi ciues, ex quibus multi erant Romani, habitarunt. sed quanta cum elegantia, quantaq; cum dignitate, quàm hilari (ut ita dicam) fronte in media hac planitie fluuius Arnus fluit? quàm diuitem, & opulentam urbem reddit? quam tutam, ac munitam? Quot, quantisq; artibus utilis? Quot laboribus liberat? Quot domos accommodat? Quantum splendorem, atq; aspectus pulchritudinem quatuor nobilibus, ac magnificè ædificatis pontibus? Sed quæ tanta dicendi copia existere potest, qua quisquam possit tantam urbem, tam præclaram, tam amplam, tam augustam, tam celebri loco extructam, tantorum uirorum ciuium Romanorum consilio, & opere conditam, atq; auctam, tot egregiorum artificum manibus elaboratam, industria perfectam, incredibili celeritate ad summum perductam non dicam laudibus efferre, sed uerbis aliquando consequi? qua cum Italiæ populis, cum exteris nationibus iter facere contigit, quid dicam, contigit? cum multæ gentes dedita opera ad eam inuisendam è longinquis partibus uenerint, simul ac è montibus apparere cœpit illius maiestas, & præstantia, eiusmodi exaudiri uoces solite sunt admirationis, ac stuporis plenæ, ò pul-

B. BAPHII LVCIN.

*chram, ac decoram, ò uenerandam urbem, ò magnificentissimum  
opus, ò Florentinorum sempiternum decus, ò felices, quibus in hac  
conualle nasci contigit, ò diuinos planè homines, qui eam condide-  
runt, quibus digni sunt honoribus? non humanis, sed diuinis, non  
terrenis, sed cælestibus: Qui fieri potest, ut à uiris longè omnium  
clarissimis non incolatur? Quis non censeat hoc omnium uirtu-  
tum esse seminarium? Nimirè mirum cuiquam uideri debet, cur  
antiqui heroes illi inuitati, ac inflammati sint ad magnos hic sum-  
ptus faciendos, ad turrea edificandas, ad templa construenda, ad  
capitolium, ad aqueductus miro artificio per subterraneos cunicu-  
los, & opere arcuato conficiendos, & fabricandos, & alter alte-  
rum superare contenderit, & Florentia honorificentius frui ela-  
borauerit. Etenim consentaneum admodum fuit omnem operam,  
&ampamp industriam in illud conferri, quod natura rerum opifex, & so-  
lertissima suis opibus auxisset, fortunis locupletasset, & quicquid  
in ea erat situm, ad illud transfudisset. Hæc fuerunt urbis uestre  
initia, atq; exordia à Deo Opt. Max. elargita, ut ciues illi sapien-  
tes ex iis intelligerent, quod felicitatis fundamentum iaciendum  
esset, qui nam primus uirtutis usus, et actio suscipienda esset. Qua-  
re cum patres illi antiqui uestri præstanti, prudentia & consilio,  
animo, ac ratione lustrassent felicitatem altissimis religionis ni-  
ti, ac defixam esse radicibus, & omnibus imperiis hæud dubiè  
religionem salutem apportare, & à propitiis, ac placatis ni-  
minibus firmitatem, & incolumitatem proficisci templum mi-  
ra structura condiderunt, ac Marti, qui tanquam Deus  
est habitus, consecrarunt: Martem enim Romanum autorem, Mar-  
tem fortissimi milites; & orbis terrarum uictores uenerabantur,*

*Martem*

Martem præcipuus huius urbis conditor Augustus colebat: ma-  
 gnum, re uera extitit religionis argumentum, cum præsertim  
 immortalis Deus usq; ad hanc diem in tot, ac tantis Italiæ pro-  
 cellis, & tempestatibus illud idem templum sartum, tectumq;  
 conseruauerit. Fuit semper Hetruria omnium regionum, ac natio-  
 num religiosissima, & diuino cultu ac studio imbuta, & crebrius  
 hostias imolauit, ut non nulli uoluerint Thusciam à græco θυσία,  
 quod est sacrificare fuisse appellatam. Quoties Romani in He-  
 truriam ad instruendos, ac edocendos in religione liberos miserūt  
 quoties interpretandorum prodigiorum causa uates ex Hetruria  
 accersuerunt, cum Italia in ueri Dei ignoratione uersabatur.  
 At Florentia præ cæteris Hetruria urbibus religione floruit.  
 Nam postea quam Seruator noster Christus suo aduersu nobis  
 afflictis, & iacentibus dexteram porrexit, mentibus nostris lu-  
 mina prætulit, & à morte ad uitam, à desperatione ad spem, ab  
 exitio ad salutem reuocauit, ut suam in Florentiam, quam præ-  
 uiderat religiosam usquequaq; futuram, benignitatem, & chari-  
 tatem declararet, homines summa sanctitate præditos impii illius  
 Neronis tempore Frontinum, & Paulinum Apostolorum prin-  
 cipis Petri discipulos, misit ut eam iis, quæ ad salutem pertinebāt,  
 erudirent. Quod quidem beneficium cum multi cognouissent, ad  
 ueram religionem, atq; sanctimoniam demigrarunt, uniuersaq;  
 ciuitas Christum tunc amplexa fuisset. At ea fuit illorum Prin-  
 cipum sceleratorum rabies, ea duritas, ea immanitas, & in Chri-  
 stianos odiū, ut ciuitas metu perterrita se erigere, & aliquando re-  
 creata caput extollere non potuerit: tanta tamen Christianorum  
 redundabat indies multitudine, ut uel ad transalpinas regiones sa-

ma

*m. de uera eius religione percrebuerit. Qua propter Miniatem illum beatum Regis Erminiae, uel, ut non nulli aiunt, Armeniae filium, ad quem regnum tanquam hereditas redibat, iuuenem spectatae sanctitatis, ac in Deum amoris cur existimatis ad hanc se potissimum urbem contulisse, & propè mœnia eius cum multis discipulis, ex quibus haud dubium est, quin aliqui Florentini extiterint, Deo Opt. Max. seruire uoluisse, nec unquam hinc uoluisse discedere, at pro Christo sanguinem potius profunderè? Nempe quòd hanc ciuitatem religioni deditam, ac multos sui similes Christo addictos Florentinos cognouit. Nam si uiros à Deo omnino alienos offendisset, nec Domini uineam hic fructum ferre, ac uberiores laturum perspexisset, quis non uidet statim hinc profecturum fuisse? Quid aliud causæ fuisse arbitramini, cur Crescius Deo gratissimus nobili genere natus è Germania in hæc uestram potissimum regionem demigrauerit, & non longe à patria uestra constiterit, ut uitam duram, atq; asperam pro Christo ageret, atq; hic eodem ferè tempore, quo Minias à Decio illo nò Imperatore, sed crudelissimo tiranno interfici passus sit, nisi quòd ueri Dei cultum, ac sacrosanctam religionem suscipiendi cupidos, uel susceptam retinendi ciues uestros nouit? Id quod paucis post annis hæc ciuitas in apertum, lucemq; protulit: Nam cum primum Constantinus Imperator Christum complexus est, et per uniuersum Imperium sacras ædes ædificandi potestatem cuiq; fecit, nulla interposita mora, nulla facta propemodum temporis intercapedine Florentini ciues cultum Deo optimum, castissimū, atq; sanctissimum, plenissimumq; pietatis pura, integra, & incorrupta mente, & uoce tribuere cæperunt: tunc beatus ille Silue-  
ster*

ster primus Pontifex Maximus cum audisset in uiam Florentiam rediisse, Episcopum ad eam regendam, ac in fide erudendam misit. Tunc Marti dicatum templum præcursori illi, qui tantopere à uobis ueneratur, consecratum esse uoluitis, atq; in eo locum illum sacrum ex lapide ædificatum est, quo homo spiritu gratiæ in melius immutatur: tum magis intimam cum Romana ciuitate, & Pontifice societatem coire cœpistis, & perpetuò amore astrictos, atq; colligatos cum Ecclesia fore statuistis: Tum multas ædes sacras ædificastis, in primisq; illam Seruatori dedicastis, quæ multis post annis Reparatæ Virgini, ac martyri Honorii Imperatoris, & Zozimi Pontificis Maximi suasionibus consecrata est: Quòd die huic Virgini sacro gloriosa uictoria contra Rhadagasium Gotthorum regem in montibus parta est Fæsulanis: tum in religione tuenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis paruiduxistis: Nunquam profectò in tot, ac tantas dimicationes, & ferè quotidianos impetus obiecissetis, nisi magna præditi fuissetis religione, & in Ecclesiam charitate. Cur Totilas ille nefarius tot huic orbi attulit detrimenta, tot plagas, ac tantas inflixit, nisi propter singularem in urbem Romam, Romanumq; Pontificem amorem? Henricus uerò quartus Imperator multis, ac magnis calamitatibus eam omni impetu afficere conatus est, cum eam bis obsedisset, & agrum depopulatus esset: propterea quòd opem, ac salutem Ecclesiæ, quantum in ipsa fuit, attulerat tempore Gregorii VII. & Urbani II. Federicus autem primus Imperator cum Florentia iter fecisset, quòd ipsa Pontificis Max. partes susceperat, ad eiusq; auxilium accesserat, eam magnis bonis, & agris multauit: Etenim omnem eius agrum usq;

ad





B. BAPHI LVCIN.

ad mœnia arripuit : quod tamen ipsa æquo animo, & tolleranter  
benefactorum conscientia tulit, ac sustinuit : Sed ab illhinc qua-  
driennium agrum recuperauit, & magnis est honoribus affecta.  
Nam cum Episcopus quidam Rauennas Florentiæ concionare-  
tur, hortareturq; ad subsidium ferendum Hierosolymis locisq; il-  
lis, qui à religionis nostræ hostibus iniuste opprimebantur, com-  
plures ex uestris pietate in Deum, & amorem in Christianos ad-  
ducti cò profecti sunt, ibiq; tãto ad Damiatam Aegypti urbẽ  
munitissimam capiendam auxilio fuerunt, ut coactus fuerit Im-  
perator, uel, ut non nulli asserunt, Pontifex Imperatoris loco pro-  
pter eorum singularem uirtutem omnem agrum ad decimum mil-  
liarum in integrum huic urbi restituere. Nullo quoties Ecclesiã  
contra Venetos, ac multos Italiæ populos, contra transalpinos  
tutata sit hæc ciuitas: Nullo cum Florentini urbem Romam in  
Alexandri V. potestatem Malatesta eorum exercitus duce redi-  
xerunt, nec pacem cum Ladislao Apuliæ Rege prius inire uolue-  
runt, quàm Ecclesiæ oppida Pontifici restitueret, & ipsi Ale-  
xandro obediret, et tanquam uerum Christi Vicarium uenerare-  
tur. Nullo cum scissuræ, & schismata essent in Christiana Repu-  
& in dubio apud non nullas nationes hoc uersaretur, an Urba-  
nus VI. esset legitimè Pontifex creatus, quo tempore multi ora-  
tores Auinione à Clemente Antipapa ( sic enim appellari con-  
suevit falsus, ac illegitimus Pontifex ) Florentiam missi sunt,  
ut pollicitationibus eam à ueri Pontificis obedientia auerterent,  
& Gallorum etiam Rex, ut Clementi obtemperaret, hortatus  
est. Attamen nunquam adduci potuit, ut à Romano Pontifice  
descisceret; quin etiam religiosissimi ciues uestri rem sic ad calculos  
reuocarunt,

DE FLOR. FEL.

reuocarunt, tantâq; eos incessit religio, ut prius sacre Theologie doctorem celeberrimum *Aloysium Marfilium* ordinis Eremitarum consulerent, utrum illos legatos audire liceret. Quæ in huius ciuitatis religionem, ac literis, monumentis perceptio decorandam. Hæc sunt certissima in Deum pietatis, & cultus signa, hæc firma argumenta. Sed multo etiam plura recensenda essent, nisi breuis esse laborarem. Ecquando enim cum Pontifex Romanus est creatus, non misit gratulatum Oratores hæc ciuitas? Ecquando non res, suaq; omnia prolixè est pollicita? Ecquando quis audiuit Florentinorum benignitatem in Ecclesiam eiusq; pastores fuisse clausam? Quoniam in maximarum molestiarum mole, & turbulentissimis Christianæ Reipub. tempestatibus Pontifices se receperunt, & tanquam tutissimum in portum confugerunt? Florentiam. Quò Pontifices ad componendas, atq; sedandas Italiæ discordias profecti sunt? Florentiam. Vt multos alios præteream, quò *Stephanus VIII.* ut Ecclesiam *Mediolanensem*, quæ à Romana ducentis ferè annis se subtraxerat, in gremium omnium Ecclesiarum matris, & altricis reduceret, profectus est? Florentiam. Quo idem Pontifex, ut *Henricum III.* Imperatorem ad munus, pensumq; suum reuocaret? Florentiam. In qua etiam urbe diem suum obiit, honorificeq; sepultus est. Sed quo *Martinus V.* qui in concilio Constantiensi Pontifex Maximus creatus est, Italiam ingressus statim uenit, nisi Florentiam? ubi per duos annos, ut sedaret Italicarum urbium seditiones, ut Bononiam, & alias urbes, quæ ab Ecclesia defecerant, recuperaret honorificè tractatus mansit? Etenim tantis officiis ab hæc ciuitate affectus


C est,

B. BAPHII LVCIN.

est, ut Romam proficisci oblitus esset Romanus, & non nisi à Romanis rogatus eò uerit. Quare in suo discessu magistratum uestrum ad se uocauit, recensuitq; multa, ac magna ab hac ciuitate accepta beneficia, gratias egit, & urbem metropolitico honore exornauit: Nam cum antea ab ipsa penè urbis origine Episcopatum tantum habuisset, in Archiepiscopatum cathedralem, sic enim appellamus, transfudit, eiq; ut matri Volaterranam, Pistoriensem, Fiesulanam subiecit. Sed in quam urbem Eugenius IIII. perfugit? à quibus complexus est, & in sinum receptus, cum in maxima urbis Romæ perturbatione incertus, quid potissimum faceret, de fuga cogitauit, & mutato habitu, sumptoq; monastico cucullo unà cū Arsenio Monacho nauiculâ ingressus Tyberis Hostiam est uectus? à Florentinis, qui in Hostiensi portu triremem ad eum deferendum cum parauissent, in suam urbem summo cum honore perduxerunt: Nam & magistratus omnes, & sacerdotes magno cum gaudio, plausu, ac lætis clamoribus ei obuiam prodierunt: Qui nisi in hanc urbem receptus fuisset, in tanta rerum perturbatione uel fuisset oppressus, uel in aliquod graue periculum incurrisset. At uestrorum ciuium uirtute, ac religione, non modo Romam honoratè rediit, & in pristinam dignitatem se uindicauit, sed etiam maiori potestate, & omnium gentium ueneratione uitam traduxit: Hic Pontifex, ut aliquam partem uoluntatis mutue huic ciuitati tribueret, sacram, ac summam ædem, olim diuæ Reparatæ dictam, sed tunc auctam, cuius testudo in terris singularis Philippo Architecto curante nullis sustentaculis iam absoluta erat, sollemni pompa Diuæ Marie omnium reginæ consecrauit. Verum

enimvero

enimvero multa alia in hoc genere sunt, quæ huius ciuitatis religionem indicauerunt, quibusq; omnium religiosissimam exteræ etiam nationes prædicauerunt. Quid enim aliud tot summa hic concilia, non tam loci commoditate, quàm uestra in Deum pietate celebrata nobis præferunt? Etenim transalpinis regionibus, ac transmarinis multo aptiores, ac commodiores complures Italiæ urbes extiterunt: sed hanc potissimum urbem alienissimis Christianæ Reipub. temporibus maximè appositam sunt arbitrati: quòd tutò tanquam in portu Ecclesiæ Christi de rebus ad communem salutem pertinentibus se posse feliciter pertractare Patres illi amplissimi perspexerunt: Nullas enim hic insidias poterant pertimescere, cum satis, superq; Florentinorum erga Christi familiam fides perspecta, & cognita esset: sæpè audierant, atq; experti fuerant, quàm benefica, ac liberalis in eos esset, qui religioni addicti essent, non ignorauerant quantopere ab hæresibus abhorreret, quàm eorum, qui in iis hæresibus essent, acris, ac perennis inimica extitisset, quàm grauitè in eos, qui in huiusmodi incidissent salebras, & eo in luto sponte, & pertinaciter uellent uolutari, animaduertet. Quamobrem olim Victor II. Pontifex Maximus in maximis Christianæ religionis seditionibus uniuersum Episcoporum cætum, generaleq; concilium huc conuocauit uel Henrico III. Imperatore aduersante, & repugnante, in quo quidem concilio multos Episcopos simoniæ (sic autem appellamus,) tum fornicationis causa Episcopatu spoliavit: quod minus perficere ei licuisset, nisi hæc urbs, & autoritate, & potestate, & religione plurimum ualisset, sciissetq; hæc tutò Florentiæ pro Ecclesia posse præstare.




Non multis uerò post annis cum Paschalis II. quasi inuitus Pontifex electus fuisset, cumq; Petri nauis magnis fluctibus iactaretur, & usq; eò, ut quattuor Antipapæ ab improbis summo cum detrimento f'iorum Dei, incredibiliq; omnium offensione creati essent, quem locum ad sedandas tantas, tam graues seditiones, ad tollenda è medio illa intollerabilia mala potissimum delegisse arbitramini Florentiam illam, quæ tanquam munitissima turris, atq; arx religionis semper extitit, in qua magnam habuit synodum, cui trecenti, & quadraginta Episcopi interfuerunt ex omnibus Christianæ Reipub. regionibus accersitis. O laudatam, ò religiosam Florentiam, quæ semper Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum parentem adiuuisti, souisti, ac protexisti: quanta tua fuit religio tempore Eugenii III. cum cœtum, conciliumq; tantorum uirorum Cardinalium Episcoporum, Græcorum Imperatoris Paleologi, Patriarchæ Constantinopolitani, ac plurimorum doctissimorum hominum complexa es, & beneficiis innumeris affecisti? Tu digna fuisti, apud quam græci diuinum illum spiritum, atq; amorem à patre, filioq; prodire, atq; emanare confiterentur, & Græca Ecclesia cum Latina, à qua per multos annos seuncta, ac diuisa fuerat, rursus coniungeretur: apud te Armeni, atq; Indi diuinarum rerum sacrarium tum esse audiuerunt; Et ideo ad Eugenium apud te conquescentem miserunt Oratores, ut erudirentur iis rebus, de quibus edoc'ta erat Romana Ecclesia, & in fidem, & clientelam reciperentur, & tanquam filii haberentur. Sed quid longius progredior, ut quæ ad tuum in Deum, Diuosq; cultum spectant, recenseam? Cum tanta sint, ut cum plurima, & maxima à me

dicta

DE FLOR. FEL.

dicta fuerint, & plura tamen, & maiora præterita esse uideantur: Etenim quod maius tuæ religionis testimonium afferri potest, quàm multorum singularium uirorum sanctitas, & bonitas? ut Ioannis Gualberti Umbrosæ uallis ordinis primi institutoris, qui signa, & miracula sue cum Deo gratiæ, & uiuens, & post obitum edidit: & D. Bernardi ex Umbertorum familia magna uirtute præditi, qui ab Urbano II. Pontifice maximo in Cardinalium collegium est cooptatus? Beati illius Philippi, qui seruatorum ordinem ad optimam uiuendi normam direxit? Antonini Archiepiscopi uestri, qui & doctrina, & uitæ probitate floruit? Beati Ioannis Dominici, qui in Pannonia ex hac uita discedens multa, ac magna sui in Deum mutui amoris indicia, & signa dedit? plurimorumq; similium, quos longum esset enumerare: Testes præterea sunt huius ciuitatis in Deum, Diuosq; pietatis tot miracula, quæ per sanctos hic edita sunt. Hic enim Zenobius Episcopus uester uir sanctissimus quot, quantisque miraculis turbulentissimis Italiæ, ac huius urbis tempestatibus fulsit, ac splenduit? qui homines à morte ad uitam reuocauit, & eius merito creditur patria uestra Radagasi immanissimi tyranni obsidione fuisse liberata. Hic admirabilia, quæ beatus ille Martinus perfecit, optime nostis. Hic Seruatoris cruci affixi imago uirtute diuina ad Ioannem Gualbertum se inclinauit: quod inimico illius gratia pepercisset: Hic sanguis Christi in uinum sanguinem permutatus in æde D. Ambrosii adhuc apud uos est, populoq; summa cum ueneratione ostendi consueuit: Hic cùm esset quædam Virginis imago depicta in pariete cuiusdam atriorum sancti Michaelis templi, & ante eandem ipsam imaginem

multi



multi Deo, Virginiq; se commendarent, factum est, ut plures  
 uariis morbis laborantes sanitatem recuperarent, tantusq; eam  
 ob causam factus sit populorum concursus, ut breui temporis  
 interuallo nobile templum edificaretur, & summo in honore  
 usq; ad hanc diē ac in pretio habeatur: Hic deniq; cæli Regina tot  
 in uos beneficia assidue confert, quot oratione completi minime  
 potest, cuius gratia multa hominum millia ex ultimis orbis regio  
 nibus ad uos perinde, atq; græci ad templum Dianæ Ephesie, con  
 fluunt. Hæc sunt uestre ciuitatis expressa sanctitatis, & religio  
 nis uestigia. Sed quis unquam templa nobilissima, & tanto arti  
 ficio perfecta, ut nulla alia in urbe similia conspiciantur, aspexit,  
 quin de eius religione, quin de sanctitate, quin de pietate in Di  
 uos magnam animo imbiberit, atq; conceperit opinionem? Quod  
 si uidiſſet quanta Episcoporum multitudinem, et præfectorum Eccle  
 siæ cum magistratibus omnibus, quanta pompa, quantaq; cum re  
 uerentia iacta eorum fuerint fundamenta, multo etiam magis eius  
 religionem admiraretur, maioribusq; laudibus eam efferret. Nã,  
 ut de templo hoc admirando uerba faciam, cuius gratia Franci  
 scana familia se huic ciuitati perpetuo deuinctam confitetur, &  
 gaudet, cum ædificari cæptum est, non ne muli Episcopi, & urbis  
 Prætor cum magistratibus omnibus magno applausu, ac omniū  
 lætitia interfuerunt? Cum uerò eodem anno augustissimi illius tē  
 pli, & maximi, quod quadrato, sculptoq; marmore eximie, ac ma  
 gnificè constructum est, prima sunt fundamenta constituta, incre  
 dibile est, quanta ceremonia, ac religione sit factum: cum præser  
 tim ciues uestri Cardinalem Pontificis legatum multis cum Epi  
 scopis uniuersa cum ciuitate adesse uoluerint: id quod in aliis ædi  
 bus

bus sacris construendis propemodum semper est seruatum. Quo  
 circa nulla est Italiae urbs, nulla transalpinarum, quae unquam  
 Florentiae religione, & erga Deum cultu par extiterit, tantum  
 abest, ut uicerit. O felicem urbem, cuius omnes actiones à uirtu  
 te continenter profectae sunt. Haec praecipua causa fuit, quam ob  
 rem Romani Pontifices urbem hanc mirificè dilexerunt, charamq;  
 habuerunt, atq; uel ipsi met ad ciuiles componendas seditiones, ac  
 dissensiones, quae, ut fit, oriri solent, uenerunt, uel si per graues oc  
 cupationes non licuit, Amistetes amplissimos miserunt ad pacem  
 inter ciues conciliandam: Etenim Nicolaus III. Cardinalem  
 Latinum magna auctoritate uirum, maximoq; ingenio, & in pri  
 mis ad reconciliandos animos idoneum ad id peragendum misit,  
 Benedictus XI. Nicolaum Pratensem Cardinalem hominem  
 industrium, ac solertissimum: Bonifatius uerò VIII. Carolum  
 Ualesianum Gallorum Regis fratrem: At Gregorius X. ipse  
 met simul ac Viterbii pontificia corona fuit ornatus, Florentiam  
 properauit, qui amore, pietateq; paterna inflammatus ad magi  
 stratus omnes ciuitatisq; principes pulcherrimam, atq; charitatis  
 plenam habuit orationem, qua ad pacem omnes cohortatus est.  
 Et quanquam diu hoc saxum uoluerit, non prius tamen destitit,  
 quam ciues inter se in gratiam restituerit. Non tã opere hic opti  
 mus Pontifex elaborasset, cum praesertim neq; Florentinus, nec  
 Hetruscus esset, non tam cito ad uos uenisset, nisi uestram integer  
 rimam in Ecclesiam pietatem, religionemq; nouisset, nisi huius  
 fidissimae filiae amore, & tranquillitatis desiderio flagrasset. His  
 igitur de causis prospera, ac pollens haec ciuitas facta est, sum  
 mis Imperatoribus, ualidissimis Regibus restitit, eiusq; res gestae  
 ample





ample, magnificę, fuerunt, & multas, ac magnas uictorias cō-  
 tra eius hostes consecuta est: Primum enim cum Radagasius Got-  
 thorum Rex, qui in Hetruriam cum ducentis hominū milibus ue-  
 nerat, urbem hanc obsedisset, & omnes neruos contendisset, ut eā  
 occuparet, atq; expugnaret, tantum abest, ut ceperit, ut etiam  
 Honorii Imperatoris, & Romanorum auxilio in Fæsulanis mon-  
 tibus eius exercitus profligatus, ac omnino è medio sublatus sit,  
 ipse uero trucidatus fuerit. Quę urbs tanti hostis impetum expe-  
 ditasset, nisi robore, & magnitudine animorum inuicta, constasq;  
 fuisset? Sed ecce paulo post non minor pestis Totilas, & ipse Got-  
 thorum Rex, ut tyrannum superiorem imitaretur, illiusq; cædem,  
 exercitusq; fortasse uindicaret, postquam multas Italie urbes ua-  
 stauit, & incendit, ad urbem hanc obsidendam accessit, quam &  
 si sepius diruere, ac euertere conatus est, multisq; damnis affecit:  
 nunquam tamen Dei optimi Maximi presidio, ac ciuium ro-  
 bore, & fortitudine potuit expugnare. Quòd si post illa tempora  
 à Fæsulanis, quorum urbs huic uestrę, ut Tantalosaxum imine-  
 bat, accerrimis Romanorum, & Florentinorum hostibus, & à  
 barbaris, qui assidue hac iter faciebant, mœnia magna ex parte  
 euersa sunt, civesq; in loca finitima munita, & ab hostibus tuta  
 se recipere conati sunt: nemini mirum uideatur, quippe cum casus,  
 & fortuna in bonis dominari consuescat, & ita comparatum sit,  
 ut quemadmodum in anni uarietate, ac uicissitudine noxię quasi  
 cæli, & siderum conuersiones fiunt, sic plerunq; humanę uitę  
 cursus tanquam orbis quidam uehementiori motu, & grauiore  
 quasi quodam cum sonitu conuertantur. Sed Deus Optimus Ma-  
 ximus, & si quos diligit, aliquo interdum supplicio, & calamita

te affici finit, ut in uiam redeant, & in quem oculos conuicere, ad quem confugere debent, perspiciant: Nunquam tamen in perpetuo luctu, ac squalore uersari permittit, sed, quos fortuna depulit ad calamitatem, paulo post recreat, & erigit ad gloriam. Itaque cum ab ac urbe misericordie oculos nunquam deiecit, uoluissetque non modo in pristinum statum, sed in nobiliorem, ac prestantiorem restituere Carolum illum uere nobilitate, fortitudine, potentia, religione magnum à Pontifice Maximo in Italiã ad eam à Longobardis, ceterisque barbaris nationibus liberandam accersitum, Imperatoremque Romanorum creatum ad hanc urbem Romanæ Ecclesie filiam misit, qui, cum tam nobilem, ac pulchram urbem propè dirutam, & miseris temporibus afflictam offendisset, quanta celeritate, Dii immortales, quam breui temporis spatio instaurauit, atque exornauit? Qui oculis non uiderunt, uix credere possunt, ut arte non humana, sed Dei manibus aucta fuisse uideatur. hic uir amplissimus mœnia exædificari, & ampliora, ac magnificentiora construi, & ciues omnes in patriam iussit redire, urbanamque nobilitatem uariè per uicina oppida diffusam reduxit, denique cum multos ciues Equites creasset, amplasque ciuitati immunitates dedisset, eamque in fidem, ac clientelam suscepisset, & manis honoribus illustrasset, omnesque consolatus esset, in patriam rediit. O uirum immortalitate dignum, cuius memoriam nulla unquam delebit obliuio, de quo omnes gentes summa cum laude semper loquentur. Quantùm huic omnium Christianorum Imperatorum optimo hæc ciuitas pro hoc tanto, tam repentino, tam diuturno beneficio debeat, quibus illum laudibus, quo studio, qua obseruantia, qua pietate eius nomen prosequi, & colere debeat, facilius

D est

est nobis animo iudicare, quàm mihi oratione nunc explicare: perfecit enim ille uir, ut non solum usq; ad hanc ætatem ciuitas non corruerit, sed in amplissimum locum ascenderit, & in nobilissimarum totius orbis urbium numero nulla controuersia reposita fuerit. Nam postquam uires recuperauit, & satis ampla, atq; magnifica facta est (quoniam inuidia ex opulentia orta est) Fæsulani eam assiduo bello premere, ac sollicitam habere nitebantur, sed inferiores illi semper discesserunt, uestra uerò ciuitas gloriosas uictorias reportauit: Cum uerò laceßere non desinerent, & Florentini apud Othones Imperatores, deinde apud Henricum plurimum autoritate ualere, improuiso impetu Fæsulas ceperunt, & ædibus sacris exceptis, funditus euerterunt: Quod quidem non inferendæ iniuriæ causa, aut ulciscendæ, sed ut tutam tranquillamq; pacem aliquando trahere liceret, & sibi, ac uicinis prospicerent, atq; consulere: quod ex eo satis intelligi potest: quòd nemini uim intulerunt, non labem castis, non infamiam bonis, non fortunæ bona eripuerunt, sed omnes amplexi sunt, ac in suam ciuitatem receperunt, Romulumq; Romæ creatorem, & principem imitati sunt: ut enim ille fœdere Sabino docuit etiam hostibus recipiendis augeri ciuitatem oportere, sic ciues uestri, ut Romanorum filii parentum exemplo, & autoritate ciuitatem hostibus communicarunt. Quæ res sine dubio maximè huius urbis fundauit imperium, & Florentinorum nomen auxit, & urbem: nam Henricum III. Imperatorem, qui eam obsederat, quòd Ecclesiæ officia, atq; partes susceperat, tantum abest, ut pertimuerit, ut etiam ciues uestri communi consensu urbe egressi excelsis animis in eius exercitum inuaserint, tantumq; impetum,

## DE FLOR. FEL.

impetum, atq; impressionem fecerint, ut effuderint hostem, ac fugientem profecuti sint. Quæ nam Italiæ urbs eo tempore tam potenti Imperatori resistere potuit? ne Roma quidem: Attamen Florentia & tyranno restitit, & magnum timorem incussit, qui etsi odium in hanc urbem, quæ Ecclesiam tuebatur, conceptum sæpius saturare concupiuit, eamq; ob causam post septem annos, ut eam expugnaret, cum exercitu reuersus est non minori tamen dedecore discessit. Tunc uerè hæc ciuitas ab illis Romanis ortum duxisse ostendit: Tunc barbaris Italiam inuadentibus formidolosa fuit: Tunc multa oppida, ac finitima loca ultrò in eius potestatem, ac manum se tradiderunt: Tunc fortissimos, ac inuictos esse ciues omnes prædicauerunt, quod etiam non longo post tempore cum Florentinorum cohors Damiatæ urbis mœnia primum conscendit, & magnis honoribus aucti in patriam uexillo, quod in Aede D. Ioanni dicata apud uos est, reuersi sunt. Sed hoc nemini nouum, aut auditum uideri debet: fuerunt enim Florentini uiri ad labores impigri, ad pericula fortes, ad usum, ac disciplinam militarem periti, ad casum, fortunamq; felices. Huius rei testes omnes Etruria urbes, ac multæ etiam ex Gallia Cisalpina sunt, quæ, & si munitæ, & robore, & uirtute militari præditæ fuerunt: cum hac tamen nec comparari, nec æquari potuerunt: Nam & uictoriæ insignia, & uictorias ab his gloriosas reportauit. Hæc autem, quòd neminem fugiunt, silentio prætereo: Experta etiam sunt multa millia Germanorum, qui uniuersæ Italiæ terrori maximo fuerunt præterquam Florentinis: Nam cum rapto uiuerent, & totam Galliam Cisalpinam afflixissent, omnesq; ciuitates compi-

lare niterentur ferrum, flammamq; minitantes ad Hebruriam  
 animum adiecissent, ut tutius in eam uenire possent, per agrum  
 Ariminensem, deinde Fulginatensem Perusium peruenerunt,  
 cuius urbis ciues metu perterriti magnum auri pondus obtulerunt,  
 ne agrum uastarent, u. n. urbi inferrent, idem Pisani, atq;  
 Senenses fecerunt: Erat enim fama hos homines multas ciuitates  
 depopulatos esse, ac regiones euertisse, hanc solam urbem nullus  
 terror potuit peruertere, sola inter tot Italiae urbes impetum su-  
 stinuit, huic soli latrones illi mala omnia minabantur, ciuitates  
 uerò Florentinae amice cum magnum periculum ei impendere  
 perspicerent, cohortabantur ciues uestros, ut foedus inirent,  
 cum nihil cum huiusmodi genere hominum lucrari ciuitas posset.  
 Quòd si per aliquot dies in agro Florentino commorati essent,  
 magnum esse damnum allaturos: addebant incertos esse exitus  
 praeliorum, homines esse desperatissimos, ac perditissimos, &  
 armis exercitatissimos, finitimarum ciuitatum exempla intue-  
 rentur, quarum nulla contra eiusmodi hostes decertare ausa es-  
 set, satis nomini, gloriaeque ciuitatis fecisse: quòd postrema, &  
 non nisi derelicta ab iis, quae discriminum, periculorumque comites  
 esse debebant, locum fortunae dedisset, hostibusque cessisset. At  
 Florentina ciuitas alto, inuictoque animo cuncta prius tolleranda  
 & sustinenda esse statuit, quam Germanorum minis cedendum,  
 & quo maiora pericula obiciebantur, eò praestantius ducebat  
 hostibus obuiam ire: fama iam longè, lateque percrebuerat Flo-  
 rentinos Germanis nullo pacto cedere, sed inagno elatoque animo  
 ad praelium ineundum se parare. Quare omnium Italiae populi  
 in Florentinos erant conuersi, admirabantur omnes tantam, ac  
 tam

tàm generosam animi uirtutem, & præclarum quid admodum iudicabant, & fauebant cuncti, & ad auxilium festinabant: Nã & à Sicilia Rege, & à Bernaboue Mediolanensi, & à Patuino Domino, ac Ferrariense auxilia missa sunt; postquã tamẽ periculum amplius non iminebat; propterea quòd ab initio ciuitas statim copias suas, quibus Pandulphũ Malatestam præfecerat, parauerat. Itaq; cũ primũ ex Perusino agro in Senesem Germanos transisse nunciatum est, Dux exercitus cũ omnibus copiis mouens obuiam progressus ad Pesam fluum eo consilio constitit, ut manum consereret, ac prælium committeret, si appropinquassent. Sed cum Germani præter opinionem sibi dimicationem paratam audissent, per agrum Volaterranum in Pisanum peruenierunt, Dux uerò Florentinorum cum exercitu per fines Arniensium hostes persequebatur, deniq; ex Lucensi, ac Lunensi agro in Genuesem, deinceps in Galliam se contulerunt. Dux autem & exercitus triumphantium more post Germanorum fugam Florentiam redierunt. O fortissima ciuitas, o populi Florentini excellens uirtus, o longè, lateq; diffusa laus, o prouinciæ, o urbes, populiq; Italiae testes Florentinorum constantie: Quam quidem constantiam, ac fortitudinem paulo post Calcatius Mediolanensium Dux potentissimus suo periculo nouit, qui cum hanc ciuitatem minis deterrere niteretur, tantum abest, ut quid piam timoris attulerit, ut etiam per duodecim serè annos cum eo bellum honorificè gesserit, ac magnas uictorias reportauerit, & illum, qui tanquam serpens inflato collo, tumidis ceruicibus prius impetum facere cogitauerat, tàm placidum, quàm ouem reddiderit, nec conditiones pacis ab amicis utriusq; partis propositas recusauerit.



sauerit . Non ignorauit huius ciuitatis robur, & animorum excel-  
 lentiam *Alfonsus Aragonensium Apulie, & Siciliae Rex*,  
 qui nulla laceffitius iniuria huic urbi bellū mouit eo potissimum  
 tempore, quo imparata erat; cum praesertim *Dux equitum Si-*  
*monettus ad Regem descuisset*, ut totam *Hetruriam* in suam po-  
 testatem redigeret, sed repulsam accepit, & summo cum dedecore,  
 cum *Plumbinum* capere non posset, *Neapolim* rediit . *Experti*  
*sunt Veneti*, qui ope huius ciuitatis *Imperium* propagauerunt,  
 quiq; nulla affecti iniuria, cum omnes *Florentinos mercatores* è  
 regno suo expulissent, concitauissentq; contra hanc ciuitatem  
*Aragonie Regem*, ut eā cum *Francisco Sfortia* delerent, non so-  
 lum quod concupiuerant, non impetrauerunt, nec ulla ex parte  
 compotes facti sunt, sed etiam & idem *Rex*, & ipsi magna de-  
 trimenta acceperunt, & foedus admodum cupidè fecerunt . Per-  
 spicuum, ac exploratum omnibus est, quanta animi praestan-  
 tia *Gualterium Gallum* falsis titulis *Athenarum Ducem* orbe  
 expulerint *Florentini*, quod fieri nullo modo posse uidebatur:  
 quān egregiè *Bartholomæo Bergomensis* non longè à *Forocorneliū*  
 occurrerint, illiusq; audaciam refrenauerint, ac compresserint:  
 quān strenuè, & fortiter *Alfonso Calabriae Duci* restiterint,  
 quantas deniq; uictorias de hostibus *Florentini* sint consecuti.  
 Sed quoniam bellum gerere, & uictorias adipisci interdum uitio  
 alicui uerti potest, si non iustis rationibus suscipiatur, si non ob  
 eam causam, ut sine iniuria in pace uiuatur, parca autem uicto-  
 ria, si non conseruentur uicti, si saeuitia in uictos adhibeatur, qui  
 ueterum scriptorum monimenta leget, comperiet profectò *Flore-*  
*ntinos nunquā nisi magnis iniuriis laceffitios, atq; affectos bellum*  
 suscepisse:

suscepisse; nunquã nisi, ut se patriam, parentes, filios, templa Dei,  
 ac Diuorum, & dignitatem urbis tuerentur, ac sustinerent, ar-  
 ma sumpsisse, erga uictos benignè se gessisse. Ad hæc autem con-  
 firmãda possem sexcenta exempla adducere: pauca tamen ratione  
 breuitatis commemorabo. Quam mites Florentini in Fæsulanos,  
 à quibus tot iniurias indignas, atq; intollerandas acceperant, qui-  
 bus cum certamen non honoris, & dignitatis fuit, sed capitis, &  
 fame, quàm, inquam, mites, ac benigni fuerint, qui eos in ciuita-  
 tem suam ascripserunt nulla facta cede, quotus quisq; est, qui  
 non uideat? Volaterrani à Florentinis descuerant, sed cum illorũ  
 urbem recepissent, ac sacerdotes obuiam prodissent, mulieresq; pa-  
 cem petentes, urbem ingressi non modò neminem interfecerunt,  
 sed ne uerbo quidem uiolauerunt. Pistorium uerò cum ui captum  
 fuisset à Florentinis, ac Lucensibus, illi ueteri odio urbem delen-  
 dam censuerunt, prouocauerunt uestros ad hoc tam indignum fa-  
 cinus faciendum, sed uestri nullo pacto consentire uoluerunt, ac  
 antiquorum sociorum casum miserati illorum animos demissos  
 exuscitauerunt, atq; addiderunt. Quanta præterea in Pisanos mi-  
 sericordia, & benignitas uestrorum fuerit, nihil attinet dicere:  
 Quis enim ignorat eò Pisas redactas, ut fame propemodum  
 interirent? Et quanquam hoc Florentinos non fugeret; sa-  
 tius tamen eis uisum est urbem, à qua tot iniuriis affecti fuerant,  
 ne à militibus diriperetur, neq; in aliquod discrimen addu-  
 ceretur, pacatè ingredi. O clementiam uestrorum ciuium in au-  
 ditam, qui sic de hostibus benemeriti sunt, ut nullam molestiam  
 intulerint; cum possent iniurias persequi, & uictum abundè sup-  
 peditauerint. Cui igitur dubium esse potest, quin hæc ciuitas, &  
 iustè



*iustè bella omnia susceperit, & benigna in cunctos semper extite-  
 rit? Cum præsertim pacis, et tranquillitatis semper fuerit studio-  
 sa, & inter alios populos pacem sæpè numero conciliauerit. Nã  
 & Urbini comitem cum Eugubinis ad concordiam reuocare cona-  
 ti sunt Florentini, & Venetos cum Domino Patauino, inter  
 quos graues inimicitie extiterant. Quam ob rem à Venetis gra-  
 tie sunt huic ciuitati actæ: Quæ nam ciuitas Perusinos, & Se-  
 nenses, qui diu conflictati erant, ad pacem faciendam perduxit,  
 nisi Florentia? Qui nam ciues rogatu, & precibus Bonifatii  
 VIII, ad Perusinos eorum exulibus reconciliandos missi sunt,  
 nisi Florentini? Quæ gens aggressa fuisset ad discordias, & con-  
 trouersias graues inter Genuenses, & Venetos capitali odio inter se  
 dissidentes sedandas, atq; cõponendas? Florentia tamen ciuitas  
 tanta ualuit autoritate, ut rem ex sententia, & summa cum digni-  
 tate ad exitum perduceret, & pro Venetis, qui maximas Ge-  
 nuensibus pecunias persoluturi erant, sponsionem fecerit. Quis  
 igitur non apertè, atq; ingenuè confiteatur hanc urbem pacis cu-  
 pidam fuisse, eamq; ob rem omnium gentium concordiam quæsi-  
 uisse, atq; exoptasse? Quoniam autem nec bella iustè suscipi, nec  
 ciuitas præclarè administrari, nec patrie laus in excelsis, & illu-  
 stri loco sita esse potest in plurimarum gentium, & nationum con-  
 spectu nisi fortissimorum, ac præstantissimorum hominum splẽ-  
 dore, & copia, libenter hoc loco, si possem, adhiberem faces ora-  
 tionis meæ, non quò aliquid putarem me uestrorum maiorum di-  
 gnitati posse addere, ne in sole lucernam adhibere uiderer; sed ut  
 aliqua ex parte meritas, & debitas illis laudes tribuerem, & com-  
 memoracione talium uirorum florem, & robur Florentine no-  
 bilitatis*

DE FLOR. FEL.

bilitatis, ad bene, beateq; uiuendum currentes incitarem, & alia-  
 rum gentium excitarem desiderium iustè, fortiter, prudenterq;  
 uiuendi. At duo me ualde à dicendo deterrent uirium mearum  
 conscientia, & uirorum amplitudo, & copia, quæ tanta est, ut  
 nemo ne eloquentissimus quidem uolumine complecti possit:  
 uirtutes enim eorum tot, ac tam illustres sunt, ut immensa hac  
 mole obruisentiam. Quare nobilissimi ciues, uos etiam, atq; etiã  
 rogo, ut, si ne mediocrem quidem partem præstantissimorum ciuiũ  
 uestrorum, qui domi, forisq; præclara lumina extiterunt, enume-  
 rabo, mihi qua estis benignitate, ignoscatis: hoc enim fieri non  
 posse nemo nõ uidet. Quòd si ex tanto numero aliquos nominabo  
 honoris, amplitudinisq; gratia efficiam. Atq; ut ab iis, qui ur-  
 bium propugnatores, et exercituũ duces fuerunt (quoniam de re-  
 bus gestis paulo ante quædam primoribus labris degustauit) exor-  
 diar. Olim Bonaguifus ille Florentinus Florentinorum præse-  
 ctus, cum ad sacram illam regionem recuperandam profectus es-  
 set, quàm animosè, quàm fortiter in Damiatina capienda se gessit?  
 cum primus mœnia conscenderit, uexillumq; ibi collocauerit,  
 primusq; urbem illam munitissimam in tanta egregiorum uiro-  
 rum, ac exercituum Ducum multitudine sit ingressus? Quod  
 cum Imperator audisset Equitem auratum instituit, & omnibus  
 bonis ornauit. Sed quis uirum tam fortem cum eius Florentinis  
 militibus, qui eum secuti sunt, non cohonestasset? non magnis ho-  
 noribus affecisset? Quid Nicolaus Acciaiolius Eques regni  
 Apuliæ nobilissimus Governator, quod ad fortissimum uirum  
 pertineret, desiderandum reliquit? Quod nam egregium facimus  
 summa cum patriæ dignitate non fecit. Philippus uerò Scalaris

E eques

eques apud Sigismundum Imperatorem non ne honore, & auto-  
 ritate primus est habitus? non ne copiarum Dux, atq; Imperator.  
 ab illo Imperatore factus uiginti, & eò amplius præliis uariis  
 temporibus commisisis Sarmatas, & Turcas in Christianos Eu-  
 ropæ irruentes impetum percussit, ac superauit, & à propria  
 sede abire compulit? Quantam uim, uirtutem, ac magnitudinem  
 animi Farinata Ubertius uir sua tempestate rei militaris facile  
 princeps ostenderit, memorie traditum est. At Federicus Fol-  
 chius tribus fratribus ornatus, & octo fratrum filiis, qui in sa-  
 cram militiam erant ascripti, cum magni Rhodiorum magistri  
 classis Præfectus esset, decem & octo præliis uictorias adeò  
 gloriosas adeptus est, ut Saracenos exuuiis spoliauerit, & ma-  
 xima consecuta sit tranquillitas; & nunquam Saracenos in  
 posterum in illas regiones reuerti cogitauerint. Quis patrum  
 uestrorum memoria Mantuanum Marchionem à Ducis Me-  
 diolanensium uiribus tutatus est, et eiusdem hostis impetum pro-  
 pulsauit, nisi Ioannes Strozius trium millium equitum dux?  
 Quid animosius Petro ex eadem familia orto Caroli filio, qui,  
 cum ad mœnia urbis Mediolani disidentis tunc à Florentinis  
 premium ab eo esset affixum in die Io. Baptistæ sacro Stadium  
 cum suis militibus cucurrit? Quanta animi excellentia extitit  
 Bartholomæus Alouitus Patauini Domini exercitus Dux,  
 qui ut Veronæ à Duce Mediolanensi obsessæ subueniret, ducentis  
 uiris hostes aggressus, & in urbem ingressus, obsidione liberauit.  
 Itaq; hoc sibi cognomen comparauit, ut Bartholomæus sine ti-  
 more diceretur: Sed silentio non est prætereundus, Ioannes Me-  
 diceus senioris illius Cosmi pater, qui, ut Scarpariæ à Medio-  
 lanensium

lanensium Ducis exercitu sic oppugnate, ut nulla propemodum salutis spes reliqua esset, subsidium afferret, in cogendis militibus in melioribus, ac utilioribus eligendis, ac in loco opportuno ad aggrediendos hostes capiendo, in uia sibi inter hostes parenda, & celerrimus, & plenus ingenii, ac roboris fuit. Ex eadem uerò familia Ioannes Illustrissimi, ac sapientissimi Ducis Cosmi parens in belligerando sua memoria parem habuit neminem: tantam enim hic sibi gloriam in armis pertractandis comparauit, ut illius nomen solum loco pelleret aduersarios: Etenim quam egregie, ac fortiter cum Barbaris pugnavit? qui in Bergomensis prælio Rhetorum exercitum profligauit, Heluctios afflixit, Hispanorum audaciam primum apud Ticinum, deinde apud Mediolanum repressit, qui formidolosus factus est principibus, & rebus pub. nemo enim unquam tam cito ad arma uenit, nemo tam promptus ad obseruandos inimicorum conatus, ictus, ac petitiones, nemo tanta uir hostes adoriebatur, nemo celerius uictoriam sequebatur. Mitto Francisci Ferrucii animi præstantiam, Antonii Iacobinii eiusmodi fortitudinem, ut Iacobus Nardius eius res gestas literis mandauerit. Mitto Vincentium Thadeum apud Reipub. Venetam in magno pretio propter singularem eius uirtutem in re militari habitum. Mitto Petrum Capponium, & quamplurimos alios ex sexcentis nobilissimis familiis, qui tanquam ex equo Troiano fortissimi Duces Florentia prodierunt. Quod uerò ad urbis felicitatem non tantum fortitudine animi in bello, & in iis, quæ foris geruntur, opus est, sed prudentia, ac sapientia, qua domi, quæ ad honorem, & utilitatem ciuitatis pertinent, prospere, ac feliciter agantur, idcirco non solum Cæsares, Pompe-

ios, scipiones, sed Catones, Appios cæcos, Nasicas cumulata felicitas postulat, ac desiderat: Etenim uigilant illi de nocte, ut quò inuentur, maturè cum exercitu perueniant, hi, ut quid agendum sit in senatu, perpendant, illi aciem insti uunt, hi ciuitatis adtiones instituant, illi cauent, ne urbes, aut castra capiãtur, hi, ne quicquam, quod sit contra ciuitatis dignitatem, decernatur, illi tenent, et sciunt, ut hostium exercitus, hi ut mala intestina arceantur, illi exercentur in propagandis finibus, hi uero in regendis, & conseruandis. Cum autem hanc ciuitatem sapientissimorum, & prudentissimorum feracissimam semper fuisse contem-  
 plor, qui ad gubernacula non modo unius urbis, sed totius orbis imperii maximè idonei fuerunt, rei magnitudine perturbor, & præclare noui neq; mihi, neq; opinioni, quàm de me fortasse concepistis, quòd in ornatissimum hunc locum ascendi, ulla ex parte esse satisfacturum: Sed hoc me consolatur, quòd ( ut in initio orationis meæ dixi) non huc ueni, ut copiam ornamentorum uestrorum in apertum, lucemq; proferrem: Hoc enim infinitum quoddam uidetur esse, sed, ut eam ipsam copiam uno in loco constructam quasi per transenam præteriens aspicerem. Cum igitur admirabili illa, ac planè diuina humanæ mentis ui, quam sapientiam uocamus, que humane uitæ laudum omnium quasi charum efficit, & à qua omnis rectè sentiendi, intelligendi, atq; agendi disciplina ortum ducit, prædii fuerint ciues uestri, primum de iis, qui in multis, ac maximis rebus agendis excelluerunt, deinde de iis, qui in contemplatione potissimum uersati sunt, non pro rei dignitate, sed pro uirili parte, ac pro temporis angustia dicam. Quòd uerò religio in omnibus rebus principem

locum obtinet, non nullos, qui egregiè sacra administrarunt, nominabo, ac primò loco mihi occurrit Leo x. Pontifex Maximus ex Medicea familia nobilissima, qui tanto patrum consensu Christi Vicarius creatus est, quanto qui uis antea, hic omnino perfecit, ut Pontificia cognomina bene, & laudabiliter factorum testes essent, ac indices; Sacra enim ut per minores Pontifices, & sacerdotes, ritè, pureq; fierent, quàm diligentissimè curauit, studia sua ad pacem inter Reipub. Christiane principes conciliandam conuertit, alienatis à uera religione sæpè medicinam asserre elaborauit, bonarum artium studiosos, ut filios dilexit, & fouit: nihil deniq; tantus uir, quod ad supremam illam dignitatem pertineret, omisit. Hunc paucis post annis secutus est Clemens VII. ex eadem familia Pontifex Maximus, cuius semper animus pacis studio, ac desiderio æstuauit, qui dum per maximas rerum, ac temporum difficultates mente, fidèq; optima ad pacem contendit, uitam eius deuouit, ac incertissima pericula caput coniecit, qui ad optima quæq; & maximè salutaria semper aspirauit. Certa præterea, & splendidissima terrarum lumina, atq; ut dicimus, sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardines hæc ciuitas genuit, qui & morum probitate, uitæ integritate, rerum agendarum agnitione, & singulari prudentia ornatissimi admodum fuerunt. Quanto enim splendore, ac prudentia uir exiitit Albertus ex Albertorum familia? Quanto Alemannus Alimarius consilio? Quanta utriusq; iuris prudentia Franciscus Soderinus ab Alexandro VI Cardinalis creatus, et Philippi Decii in studiis collega propter eius egregiū nomen ea dignitate insignitus? Quali existimatione



stimatione Puccius titulo sanctorum quatuor, & Antonius  
 Puccius eius fratris filius, & Robertus primi Puccii frater, alter  
 Clementis VII, alter Pauli III Cardinalis? Laurentius uerò  
 Puccius, qui ab hinc triginta annos ex hac uita migravit, ma-  
 gno Aristitum luctu uita integerrimus, & in maximis rebus  
 transigendis solertissimus est habitus: Nicolaus Pandulphinus,  
 & Aloysius Roscius uiri grauisimi, & magno in pretio apud  
 principes fuerunt. At Nicolaus Ardinghellus uir tum latinis,  
 tum græcis literis eruditissimus in Cardinalium collegium à Pau-  
 lo III propter eius singularem uirtutem est ascriptus: Sed quã-  
 tum huic urbi honorem attulerunt amplissimi illi duo Anti-  
 stites Ioannes Saluiatus, & Nicolaus Rodulphius, & pruden-  
 tissimi, & bonis artibus instructi? Quàm honorificè Nico-  
 laus Gaddius in hunc altissimum dignitatis gradum ascendit? Sed  
 quis non laudet animi moderationem, & optimam uiuendi ratio-  
 nem Laurentii Strozii à Paulo III Cardinalis creati? Hypo-  
 politus uerò Medicus, quem parè habuit uirtute, magnitudine  
 animi, literarum tutela? Quis eius nomen non audiuit summa  
 cum laude, & gloria? quis ei liberalitate præstitit? Talis profectò  
 fuit, ut posteriores de eo exemplum uiuendi sumpserint. Sed ubi  
 te relinquo, optime adolescens Ioannes Medicus, qui, etsi per æta-  
 tem non licuit Christianã religionem, ciuitatis, atq; imperia ad-  
 ministrare: tantam spem tamen singularium uirtutum commo-  
 uisti, ut de te omnes omnia bona sibi pollicerentur: Primum enim  
 natura in ipsum ea bona contulerat, ut formã, atq; corporis spe-  
 ciem heroicam planè, & totã ad dignitatem appositam præsefer-  
 ret, quæ non mortali dignitate, sed ipsa propemodum æternitate  
 digna

digna uidebatur. Quare existimabant homines diuino quodam consilio factum esse, ut nobili animo, qui huic adolescenti destinatus fuerat, pulcherrimum etiam domicilium pararetur: quæ quidem opinio neminem fefellit: qua enim indole adolescens? quo ingenio? quàm libenter, & præclarè institutus? quàm magnis non tantum adumbratis, sed expressis maximarum uirtutum signis extitit? qui cum in amplissimorum Antistitum numero à Pio III. Pontifice Max. repositus esset, nihil in uita sibi expetendum duxit, nisi, quod esset cum laude, & dignitate coniunctum, cui si uita contigisset, nec Deus Optimus Max. tam cito in gremiũ, ac sinum suum recipere uoluisset, in supremo cum certè dignitatis loco collocatum uidissemus. Sed cum tu, optime Hernande, in eius locum successeris in tam tenera ætate, quod uni, aut alteri tantũ contigit, hoc non sine diuino numine factum credimus: Etenim, cum tuarum uirtutum quasi scintillæ iam appareant, in spem certam hæc ciuitas uenit egregia bonorum semina, à natura, atq; à nobili educatione, domesticaq; disciplina tibi insita labore, industria, & studio sic abs te colenda esse, ut fructus multò uberrimos latura sint. Perge igitur, ut cœpisti, Illustrissime adolescentule, ut quemadmodum Hetruria intuetur te uersimum tuorum maiorum exemplar, & simulacrum, sic uniuersa Christi familia, ut speramus, atq; optamus, propriæ etiam uirtutis radius illustrem uisura sit, & in tanta illustrium uirorum luce non secus, ac solem doctrina bonitate, ac religione nitescentem. Nihil est, quod dicam de Angeli Nicolini superioribus mensibus Cardinalis creati uirtute, ac in rebus agendis prudentia, cum satis, superq; in lucem prolata sit. Possem, ciues optimi, quamplurimos etiam

Archiepiscopos,



Archiepiscopos, atq; Episcopos enumerare, qui in rebus ad religionem pertinentibus pertractandis, & omni uirtutum genere multos sui ordinis superarunt. Sed, quoniam illorum egregia facta, licet sunt consignata, breuitatis causa prætereo; Atq; ad eos propius accedo, qui à Solone illo, Licurgo, Catonibus, Scipionibus, Fabritiis, Curuis originem duxisse uisi sunt. Quòd si Pythagoræ opinio uera esset, ut est à uero aliena, animas ex corporibus in alia migrare corpora, non esset uerendum, quin sapientissimorum illorum uirorum animæ in hanc urbem in uestrorum ciuium corporibus habitatum uenissent. Septem græciæ sapientes fuisse accepimus, sed in una hac urbe amplius septingentos non illis inferiores ortos fuisse, si tanta scriptorum copia esset, quanta apud græcos fuit, reperiremus: Nam quanta dignus fuit ueneratione Cosmus ille, qui ciuium seditione indignè pulsus paucis post mensibus mirifico omnium ætatum, atq; ordinum studio, incredibili concursu totius urbis summam autoritatem, & apud uiros bonos gratiam maiore, quam optauerat, recuperauit, quòd omni culpa uacare compertum est? Post eius uerò reditum omnes in hunc unum oculos coniecerunt, unus omnia gubernauit: tanta tamen mansuetudine, ac benignitate, ut priuatam uitam sepeper agere uisus sit. Quare meritò pater patriæ appellatus est, sed de huius uiri laude hic locus non est, ut multa dicantur, non enim uña oratione, neq; uno die possent exprimi, quæ ad tanti uiri laudem pertinent. Tantum dicam ea tempestate neminem in Italia ei fuisse comparatum uel opibus, uel prudentia, humanitate, liberalitate, bonarum artium historiarum præsertim præstantia: Quantum uerò illius in Deum pietas nituerit, ac fulserit magnifica

## DE FLOR. FEL.

*fica sacra ædificia declarant: Nam celebre cœnobium apud  
 Fæfulas ordinis Canoniorum regularium extruxit, & aliud in  
 urbe D. Marco dicatum quàm amplum, quàm nobile à fun-  
 damentis ædificandum suo sumptu curavit? Huc accedit illa  
 bibliotheca quàm ex omnibus linguarum antiquarum auto-  
 ribus refertissimam fecit. Quòd si Ptolemæus Philadelphus lite-  
 rarum monumentis probatur, quòd tantum librorum numerum  
 conquisierit, ut illis pro regio splendore ostendendo bibliothecam  
 suam refertam redderet, quibus laudibus dignus est Cosmus, qui  
 non ad magnificam, & gloriosam ostentationem autores omnes  
 nobilissimos, quos potuit, summa diligentia, & studio quaesivit,  
 sed tantum, ut suis ciuibus, quos mirificè diligebat, prodesset?  
 uir hic magnificus dignitatis superstites Petrum, Ioanrem, Ca-  
 rolum filios reliquit, e quibus ad gubernacula Rcipub. Petrus ac-  
 cessit uir magnanimus, & literatis amicus, qui eiusmodi uirum  
 se præbuit, ut nihil, nisi, quod honestum decorumq; sit per-  
 fecerit, & quòd ex errore imperitiæ multitudinis pendere noluit,  
 in magnis uiris est habitus. Successit autem huic Laurentius fi-  
 lius, immortalis Deus, quàm admirabilis, quàm supra captum  
 humanum spectatus: fingant sibi ingeniosi uiri aliquem, qui om-  
 nibus bonis cumulatus sit, hic certè fuit, in puppi ciuitatis sedit,  
 clauumq; tenuit, sed tam benignè, atq; humaniter, ut omnes in  
 magnam traduceret admirationem, & mirabiles artores sui ex-  
 citaret: Hic tanto consilio, & prudentia apud Italos, exte-  
 rasq; nationes est habitus, ut uniuersa Italia eius auctoritate, regi,  
 atq; administrari uideretur. Huc ad eum consulendum tanquam  
 ad Apollinis oraculum ciues, huc principum legati, atq; Re-*

F. rum

rum pub. confluebant: Taceo eius religionem, qua sacrum illud, atq; pulcherrimum templum D. Laurentio dicatum olim ab eius auo institutum ex. edificauit: Taceo eius liberalitatem, & beneficentiam, qua perfectum est, ut literæ, ac liberales disciplinæ, quarum non ipsa tantum forma, sed color etiam, & uetus illa species aduersissimis temporum casibus abolita euanuerat, ad pristinæ penè pulchritudinis decus reuocatæ, atq; ab ipsis etiam sepulchris, in quibus longissimum annorū spatium iacuerant, fuerūt excitatæ: O dignum laude uirum, quis est tam durus, aut ferreus, qui eius memoriã non beneuolentia sempiterna prosequatur? Petrus uerò Soderinus uir magno, ac præstanti iudicio fuit, qui bonitate, & uitæ temperantia, ac modestia perpetuus ciuitatis signifer creatus ad Rempub. regendam non nudus uenit, neq; incrimis, sed magna rerum cognitione. Sed quales uiri, quantaq; prudentia, ac rerum usu, & ad quod uis imperium regendum idonei fuerunt Bartholomæus Valorius, Ioannes Filiatus, Nicolaus Vzanus, Ginus Capponius, & Nerius filius, Laurentius Rodulphius, Petrus Guicciardinius, Lucas Albitius, alter Laurentius Medices, Andreas Minerbettius, Alamãnus Saluiatus Petri pater, Ioannes Canigianius, Raphael Hieronymus, Baldassar Carducius, Alexãder Acciaiolus, & alii fermè innumerabiles? Vulgata, ac peruagata est illa Bonifatii VIII. Pontificis Max. ac sapientissimi de Florentinis uox, se scilicet toto suæ uitæ cursu, qui longus admodū fuit, & maxima semper laude refertus nullos unquã uiros nouisse, qui uel prudentius, uel accuratius in rebus agendis uersarētur Florentinis ciuibus, nullos, qui maiori studio, et artificio in capiendis hominum animis, et in suam

suam sententiã trahendis uteretur Florentinis. Itaq; corã amplissimorum Antistitum concessu, & frequentia, & totius orbis grauisimorum uirorum corona magna uoce asseruerunt Florentinos quintum esse in rebus humanis elementum. Nam cum trecentesimo anno supra miliesimum Iubileum (ut aiunt) seculare celebraretur, & ex duodecim orbis regionibus duodecim legati à uariis principibus Roman ad Pontificem missi fuissent, omnes Florentinos fuisse comperitum est, simulq; ante omnium oculos uersati sũt: Etenim Imperatoris legatus Verrius Alfanius fuit, Gallorum Regis Musciatus Fraciosus, Britanniae Regis Uolinus Vichius, Regis Boemiae Rainerius Langelius, Imperatoris Constantinopolitani Simon Rosius, magni Camis Tartarorum Regis Guicciardus Basterius cum centum Tartaris, Apuliae Regis Mannus Adimarius, Federici Siciliae Regis Guido Talanchius, magni Rhodiorum Magistri Benciuemus Folchius, Reipub. Pisanae Lopus Ubertius Farinatae filius, Camertinorum Domini Cinus Diotisaluius. O rem certè admirabilè ex una ciuitate tot uiri eodem tẽpore prodierũt: cui nã urbi hoc unquã contigit? O maximè eximiae uirtutis uestrae argumentũ, O re inusitatã, atq; inauditã, et literis monumentisq; decorandã, O felices ingeniorũ plantas è bene, ac diligenter culto seminario elatas, quae dulcissimos fructus productos sparserũt, ac disseminauerunt in memoriã sempiternã. Quàm diuersa est huius urbis conditio, atq; agrorum? Solent enim illi, cũ multos annos quieuerunt, uberiores afferre fruges, hæc autè nullũ finem unquã fecerunt suauissimos fructus ferendi: solertia enim, ac industria uestrorum singularis res magnificas, et nobiles perfecerunt, ut cum exteris nationibus commercium habuerint, et ur-

bes, ac prouincias in suam redegerint potestatem: Nam Esau Bondelmontius non nē Ambraciæ ciuitatis, quæ nunc Arta appellatur, & insulæ Zacynthi, principatum obtinuit, ac in græciæ regione gubernator extitit, alteramq; sororem suam in matrimonium cum Crotonis Archione collocauit, alteram uerò cum Cephaleniæ duce? Non ne ex Acciaiolia familia non nulli ita sagaces industrii, ac prouidi fuerunt, ut Athenarū, Thebarum, & Corinthi multorumq; græciæ oppidorum, donec Bizantium à Turcis fuit expugnatum, imperio potiti sunt? Nerozzius uerò Pittius quanta cum dignitate, et Sucaminis, ut appellant, qui locus propè Eubæam est locatus, & Panaiæ, uel potius Canaiæ insulæ Thebis uicinæ dominatum tenuit? Sed quid loquar de iis, qui ex Gherardinia familia in exilium ciuilibus dissensionibus expulsi Britannie Regitales in Hybernia acquirenda se præbuerunt, ac præstitērunt, ut bonæ illius insulæ partis præsertim plantici, quæ ampla admodum est, domini sint constituti, ibiq; felicissimè uixerint, ac eorum posteri summa cum dignitate? Quare nihil hac urbe feracius inueniri posse arbitror. Nā ut generosarum stirpium in feraci solo propagata semina frugifera, ac fructuosa fiunt, sic in benè hac instituta ciuitate animi ad egregiam se laudem efferunt, & corroborant: quàm multi enim uel memoria nostra merentur, ut amplissimis honoribus, & premis decorentur, atq; ut eis uictus quotidianus, ueluti Athenis mos erat in Prytaneo, publicè præbeatur? Atq; ex multis nō possum sine scelere præterire Cosmum Ducem, uel potius patriæ parentem, quo cum quàm benè, ac præclare actum est, qui non plus à patria accepit ad fame celebritatem, quàm patriæ dederit. In posterum

curiam.

DE FLOR. FEL.

enim nunquam satis dignè, plenè, ac ornatè poterit hæc ciuitas laudari, quin magnus quidam cumulus ad eius laudem sit accessurus, quòd in ea Cosmus Florentiæ, & Senarum Dux primam lucem aspexerit: De cuius laudibus non ego mihi tantum tribuo, ut mediocrem partem putem me posse dicere: Etenim quod est ingenium tantum? quæ tanta facultas dicendi, & copia, quæ uirum tot uirtutibus refertum, iam pridem omnium uoluntate, & iudicio comprobatum aliqua ex parte possit laudare? Nam, ut eius uitam ab omni labe prorsus alienam præteream (non enim qui optimè natus, institutusq; est, potest nisi præclara, & honesta facere, & cogitare) ad gubernacula huius ciuitatis accessit, non ui, non contentione aliqua, non ullis malis artibus usus, sed tanquam Aaron à Deo diuinitus uocatus; cum præsertim aliud cogitaret, & ueluti alter David rebus priuatis studeret: Electus est omnibus suffragiis, ab iis, penès quos omnis eligendi potestas erat, qui, ut cognouit, sed ad hoc munus obeundum à Deo esse missum, nihil aliud sibi agendum putauit, nihil ante oculos sibi proposuit, quàm Dei honorem, atq; populi salutem, nihil illi potius fuit, quàm, ut prudentia, iustitia, fortitudine, temperantia uteretur: In iis autem quàm magnificè, ac honorificè se semper gesserit, incredibile dictu est: Nam cogitata diuinitus, suscepta diuinitus ab eo omnia deniq; à principatus initus ad hanc usq; ætatem diuinitus magna esse reperiemus. Est enim prudentia uirtus quedam rationis, per quam de bonis rebus, & malis, quæ ad beatam uitam pertinent, homines benè consulere possunt, quæ supra humanæ naturæ lumen in principe nostro effulsit: quanta enim opportunitate temporis idonei ad agendum uirum, quæ non solum uniuersis, sed

singulis



## B. BAPHI LVCIN.


*singulis prouidet illius mens una moderatrix, & gubernatrix. Hac uirtute maxime prospicit in posterum, hac quæ abditæ, quæque obscura sunt, assequitur, quàm enim acutè, & celeriter omnia hæc prudentissimus princeps uidet? Non est tanta in rebus obscuritas, ut eas non penitus acere uiri huius ingenium cernat, multa experientia nouit, historia, quæ est testis temporum, lux ueritatis, magistra uitæ, nuncia uetustatis, maxime delectatur, nunquam de manibus deponit, ut ex euentis aliorum facile intelligat, quod sapienter factum, quod stultè factum, quod consilio gestum, quod temerè administratum. De illius uerò iustitia, cuius fundamenta duo sunt, ut ne cui noceatur, deinde communium utilitati seruiatur, nihil attinet dicere: cum inter principes omnes iustissimus habeatur: Nam factiosos à turbulentis cogitationibus pænæ metu deterret, & seditiones, & oblectamenta amentium, & ociosorum excludit, hominum libidines, incæsta, stupra, adulteria comprimit magnis constitutis pænis, prouidet, ne in ciuitate cædes fiant, ne agri, ne saltus latrociniis infestè reddantur, ne in Deum, quem pie, casteque colit, colique ab aliis uult, in Diuosque aspera uerba dicantur, neque sub eius dictione malè de religione sentientes habitent: quod quidem tantum est, tamque laudabile, ut hanc potissimum ob causam in gratia cum Deo semper fore credendum sit, ac ipse princeps felicissimus, posterique eorum fortunatissimi futuri sint: Hic iustitia perficit, ne testamenta uiolentur, ne defuncti iniuria afficiantur, ut ius suum unicuique red datur, promissa, pacta, conuenta, seruentur, ne quis pretio, ne quis metu, ne quis gratia à bono, & æquo deducatur: hic innocentes tuetur, benemerentibus gratiam refert, in malos, atque*

*nocentes*

DE FLOR. FEL.

nocentes animaduertit, hic honores, hic magistratus pro personarum dignitate distribuit. Quare si iustitia loqui posset, intra huius iustissimi uiri animum se perpetuò esse hic ali, hic conquiescere uelle predicaret. Temperantia uerò eius, quæ est moderatrix omnium commotionum, tam elucet, quàm quod maxime: Nouit enim optimus princeps, eos, qui præfecti sunt aliis, in primis omnium uitio carere oportere. Itaque nihil in eo unquam luxuria, nihil ira, nihil libido, loci habuit. Ecquando unquam quis audiuit hunc principem incurrisse in alterius damnũ, atq; famam? Ecquando probrum castis, labem integris, infamiam bonis intulisse uel suspicio haberi potuit? Quin potius intemperantes, atq; incontinentes graui supplicio afficit: Non enim Socratis sententiam ignorat ciues moderatos esse non posse, cum principes intemperati sunt. Quare in uictu, atq; cultu etiam, ut aliis documento sit, temperantia incredibili utitur. Quid uerò de illius fortitudine loquar? Quæ tanta est, ut immortalem sibi gloriam comparauerit: Etenim mente firma, ac stabili, & stimulos doloris, & fortunæ fulmina contemnit, non periculis mouetur, huius uultus est semper idem, eadem semper oratio, idẽ semper animus, cum in morbum incidit, non deterretur, filiorum mortẽ non lamentatur, fert patienter, scit enim illos mortales genuisse. Quis autem tam costans, tam fortis fuisset, quis in perpetuo propemodum luctu, & squalore non fuisset uersatus, si tot liberos spectatissimæ indolis, & in summo gradu collocatos amisisset? Quis enim lacrimas continuisset in obitu Lucretiæ Medices Alfonsi Ferrarici Ducis uxoris sceminae lectissimæ, in pauperes liberalissimæ, pudicitia, & religione ornatissimæ? Quem tam durũ, aut ferreũ in luctum nõ

adduxit.





adduxit immatura mors Amplissimi Ioannis Cardinalis, & Graziae adolescentuli honestissimi mira indole praediti? Cui lacrimas non excitasset obitus huius Ducis uxoris grauisimae, ac prudentissimae feminae, & omni uirtutum genere ornatae, quae in malis unicum eius erat perfugium? Hic tamen fortissimus Princeps, & si eodem ferè tempore omnes amisit, testes uos estis, ciues Florentini, & adhuc obstupescitis, non modò uocem turpem non emisit, sed neq; propemodum uultum mutauit. Contendit quantum potuit fortuna, ut hunc uirum commoueret, ac precipitem daret, at illius constantiam, ac firmitudinem Deo Optimo Rege duce ne loco quidem mouere potuit: Deus enim cum nobis Principem hunc dare constituuit, uoluit etiam iis animi bonis praeditum esse, quibus speciem quandam diuinitatis praesferret. & mortale genus in eo tanquam in speculo intueretur, & optimam uiuendi rationem ab illo posset addiscere. O felicem Florentiam, quae tam perfectum, atq; absolutum uirum procreasti, O felicem Heruriam, quae in fide, & clientela tanti Ducis conqueiscis, tu principem prudentem, iustum, temperantem, ac fortem à Deo accepisti ad pacis studium omnia conferentem, tu summa humanitate, ac facilitate parentem, qui summis, ac infirmis sui copiam facit, nata es, tu patronum potentem, qui te sartam, teclamq; conseruat, qui hostium iniurias propulsat, ac propellit, qui à te nunquam oculos deicit, qui dies, noctesq; nihil aliud agit, nihil curat, nisi ut salua perpetuò futura sis. Quare ex hoc Reagistratu nequaquam tantum capit uoluptatis, quantum sollicitudinis, & laboris. Quid non ne uideas, quanta utatur in te regenda clementia, quanta misericordia? Tu, patria mea Lucinianum, quae, cum

à Deo

DE FLOR. FEL.

à Deo Opt. Max. discessero, nihil mihi charius inuita esse potest, quamq; si per religionem liceret, uelut alter Ulyssès Ithacam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam, sic ipse immortalitati anteponerem, tu, inquam, huius Principis clementiam, misericordiam, benignitatemq; satis, superq; experta es, cui iam perditam, atq; afflictæ miseris temporibus, et collum in laqueum inserti subuenit, quamq; non modo ex maximis periculis extraxit, & à desperatione ad spem reuocauit, sed excogitauit, quemadmodum te ornaret, & suis muneribus illustraret, ut multo plura quam exoptaueris, sit benignè elargitus, quibus tantis, ac tam immortalibus beneficiis, quoniam nullo modo patria mea respondere potest, nec aliquam gratiam referre: tamen, & huic clementissimo Principi, & tibi Florentia, qui eum in hanc lucem suscepisti, tantam gratiam habet, quantam cuiusq; memoris, & grati uiri animus capere potest. Huius igitur principis ciues nobilissimi, uirtutum amplitudinem si quasi in altera libræ lance ponerem, terram, credo, ea lance, & maria deprimeret. Quare cum philosophorum omnium facile princeps quadratum hominem (sic enim appellat) proposuit, ac depinxit, Ducem hunc nostrum exprimere uoluisse arbitror: Quadratum in numero, in figura, & in corpore reperitur, numerus quaternus, perfectus, absolutusq; numerus est: continet enim in se sextum, & denarium numerum, ultra quem non inuenitur propriè numerus: Figura etiam quadrata perfecta est, cum quatuor æqualibus lineis contineatur, quatuorq; æqualibus angulis: corpus quoq; quadratum est, & ipsum perfectum ueluti cubus: quatuor enim superficiebus æqualibus constat, quarum unaquæq; quatuor lineas, quatuorq; angulos habet, & quouis modo  
 G sit



sit collocatus semper rectus permanet, eodemq; modo, cum omnes  
 eius partes sint æquales: sic Dux noster Cosmus eodem modo  
 semper se habet, ac propter singulares eius uirtutes quandam in  
 omnibus æqualitatem retinet, atq; ut muneris partes quadrati si-  
 milis sunt, & æquales, sic huius uiri actiones usquequaq; similes  
 sunt, ac mediocritatem quandam seruant: ut autem quaternus  
 numerus omnem continet perfectionem numeri, ita hic omnes  
 numeros uirtutum amplectitur quibus in quauis fortuna benè,  
 ac rectè uiuitur: Instar etiam quadratæ est figuræ: ut enim illæ  
 quatuor æquales lineas habent, & quatuor rectos angulos: sic  
 Princeps hic neq; commutabilis, neq; fortunæ impetu uel secundo,  
 uel aduerso uariatur: at semper in eodem permanet statu æqualis,  
 ac rectus: deniq; ueluti cubus habendus est: ut enim ille quouis  
 modo collocetur, semper rectus remanet, ita hic Princeps nun-  
 quam de recta uia declinat. Quod cum ita sit, non est mirum  
 si nunquam quicquam minus decorum, minus ue generosum, aut  
 minus constans præstitit, sed omnia summa cum sapientia ad-  
 ministrat. Sed ecce spes altera Hetruriæ Franciscus Princeps  
 adolescens illustri ingenio, industria, gratia, qui tanquam alter  
 Augustus in ipso adolescentiæ flore, non, ut ille, ui, sed hære-  
 ditario iure ad hanc nobilissimam Italiæ regionem administran-  
 dam faustè, ac feliciter accessit: de quo quidem non possumus  
 non optimè sperare: In eius enim paternæ uirtutes adeo  
 aliè radices fixerunt, ut non minus feliciores, ac uberiores fru-  
 ctus, quam in ipso parente sint laturæ: Etenim nulli dubium es-  
 se potest, quin lectissimus hic adolescens, cuius animo parentis,  
 ac omnium excellentium principum gloria quasi clarissimum  
 quoddam

## DE FLOR. FEL.

quoddam lumen inest, quæ illum perinde, atque *Themiſtoclem* *Achilliadis* trophæa, ad res nobiliſſimas dies, noctesq̄, accendat, in summa hac, atq; ampliffima dignitate Imperio parem animum ſit habiturus: cum præſertim non mediocre ſpecimen adhuc ſuæ uirtutis dederit, tum apud inuictiſſimum *Philippum* *Hiſpaniarum* Regem, qui cum pro eius generis nobilitate, & ſingulari indole, ut filium complexus eſt, tum apud uos, ciues ornaſſimi, apud quos cum primum publicum munus obire, & quæ ad omnium ſalutem pertinent, pertractare cœpit, unusquiſq; perſpicere uſus eſt in iuene ſenilem, ac grauem conſiliorum prudentiam, ac maturitatē, acce, & certum iudicium, mentem, atq; animum ad omnia ſumma paratum, atq; eo gradu laudis, ac gloriæ uiam ingreſſum, ut nihil cupiat, quod non ſit cum uirtute, dignitateq̄, coniunctum, nihilq; utile iudicet, quod ab honeſto ſit alienum. Accedit etiam quod ita faciles aditus ad eum priuatorum, ita liberæ quærimoniæ de aliorum iniuriis eſſe dicuntur, ut is, qui dignitate aliis antecellit, facilitate par infimis eſſe uideatur, humanitate uerò, ac manſuetudine iam tanta eſt, ut ultro amabili quadam oris hilaritate, & lenitate ad ſermones conferendos inuitet, & ad eum nemo unquã accedat, quin eius oratione ſemper conciliatus beneficio ſæpe deuinctus abeat: quibus quidem uirtutibus, ac optimis uitæ inſtitutis ſic ſenſim in animos omnium influit, ſic omnium beneuolentiam ſibi conciliat, ut in ipſo colendo, atq; obſeruâdo omnium ætatum, atq; ordinum tantus conſenſus ſit, ut nihil antiquius ducât, quàm huius optimi Principis uoluntati aſſentire, cuiusq; dictis audientes perpetuò eſſe. Qua de re plurimum gaudet, & incredibili uoluptate perfunditur *Franciſcana* familia: ipſa. n. pro ſua in ampliffimam,

simam, ac felicissimam hanc urbem obseruantia, quaecumque illi prospera, ac secunda eueniunt, sibi, quòd hic alta nutrita, & aucta est, communia ducit. Gratulatur tibi Excellentissime Princeps, quem absentem, ut presentem alloquor, excellam hanc tuam dignitatem, supremumq; hunc locum, gratulatur te tanquam in Italiae luce positum omnium saluti, & incolumitati inservire, deq; communi commòdo assiduè esse sollicitum, ipsumq; rerum omnium effectorem Deum, quem pie, ac sanctè colis, atq; ueneraris: cuius afflatu hanc Prouinciarn cepisti, ut studiorum tuorum, ac consiliorum moderator operumq; fautor perpetuò sit, omniaq; fortunet, assiduè precatur: Gratulatur uobis, uiri Florentum, quod ex hac celeberrima totius Italiae Medicea familia eum Principem omnibus bonis cumulatum, qui non ex transalpinis, aut transmarinis regionibus, sed ex ciuibus uestris sit habeatis. Quantum uerò Florentia Deo Opt. Max. debes, qui Principes non alienos, qui neq; tuam nobilitatem cognoscant, neq; cuius honoris ratio habenda sit, calleant: sed eos qui ex te orti sint, quos ipsa tibi genuisti, eduxisti, aluisti. Quot Italiae ciuitates, quot transalpinarum sunt, quæ in assiduo dolore, uel luctu potius uersatur: quòd ab alienis reguntur, qui prefectos uel barbaros, uel à se ortos, & obscuro loco natos interdum mittunt, qui ciues pecuniis emungunt, et trans alpes, uel maria exportant, qui uariis ciues contumelias, et ignominias afficiunt, atq; innumerabiles sepius inferunt iniurias. Quòd si ciues conqueri sibi iniuriam allatam uolunt, & ius suum recuperare cupiunt, trium mensium, aut quatuor itinera facienda sunt, ut ius suum persequantur, maximis sumptibus, & periculis, & illorum uoces sepe numero non exaudiuntur. Tu au-

tem

DE FLOR. FEL.

tem quàm felice, quàm fortunata es præ aliis ciuitatibus, quæ Prin-  
cipes, ac moderatores iustissimos, ac prudentissimos tuiq; amantif-  
simos habes, qui honoris tui curam gerunt, qui nullum locum  
pretermittunt, agendi, quodidendi qui summa ciues charitate com-  
plectuntur, & premio afficiunt: qui iniuriam accipiunt, habent  
statim, ad quos confugiant, quorum auxilium implorent, cer-  
toq; sciunt se tutos esse, atq; in utranq; aurem posse dormire. Co-  
gita etiam, atq; etiam, ciuitas nobilissima, te non esse in fide, &  
clientella ignobilium hominum, quorum generis obscuritatem te  
pudere debeat, at eorum, qui ex ea generosa stirpe nati sunt, quæ  
decus, & ornamentum semper extitit Italiae, à qua omnium uir-  
tutum semina profecta sunt: Tecum quoq; meditare in rebus bene-  
ac laudabiliter agendis, et pie pertractandis non modo hæc duo  
patriæ huius lumina; sed omnes ex hac familia uiros familiam  
duxisse, ac inter multos singulares semper fuisse. sed quid de uiris  
loquar? Cum uel fœmina ipsæ ex Medicea familia ad urbes, ad  
prouincias, ad imperia amplissima administranda natæ amptæq;  
sint? Quis unquam credidisset Catherinam Henrici Gallorum  
Regis uxorem duorum Regum matrem præstantissimam famini  
uniuersæ Gallie imperium in tam turbulentis tempestatibus, in  
tantis illius regni procellis suis propemodum humeris sustinere po-  
tuisse? Quis in tetris illis tenebris tam lynceus fuisset, qui nihil of-  
fendisset? nusquam incurrisset? Vna tamen hæc fœmina duos fi-  
lios paruos tutata est, suo consilio, ac prudentia, & senatus illius  
præsidio facinorosos coercuit, & Imperium iam in pristinum Sta-  
tum uindicauit, ac restituit. O probatissimam fœminam, quis  
unquam te abunde laudare poterit? Quis hanc, ex qua orta es,  
familiam



familiam? Quapropter præclarè optimus ille utriusq; iuris interpres, egregiusq; Poeta *Vintha* scriptum reliquit.

„ *Mediceam laudare domum, si tentet Homerus,*

„ *Haud fuerint numeri, haud Aëtica uerba satis.*

Ego uerò satis habeo, quòd extremis ( ut aiunt ) digitis, quæ in hanc sententiam dici poterant, attigi, & quod infinitum prope modum est, atq; immensum in pauca contuli. Quæ enim uox? quæ latera? quæ uires? hæc tam ampla, tam lata, tam magnifica sustinere possent? Quoniam autem natura solertissima rerum opifex, cum uitæ felicitatem quasi arcem constituisset, duos, per quos ad eam ascendere liceret, gratus, prius ædificauit, cognoscendi alterum, alterum uerò agendi, non modo per unum ciues uestri, sed per alterum prosperè, ac feliciter ascenderunt, nec qui agendi metam contigerunt, cognoscendi uiam omnino reliquerunt. Verum quòd unam potissimum uiam inierunt, & pleno gradu sunt ingressi, qui animum in primis ad res gerendas appulerunt, in ea sunt classe collocandi, de qua aliquid strictim attigimus: in uerò qui ad cognoscendi studia se tradiderunt, etsi agendi uiam nò omiserunt: in eorum tamen numero reponendi sunt, qui in contemplatione uersati sunt. Magno sanè numero, magna multitudine *Florentia* redundauit eorum, qui pericula adierunt fortiter, qui res ad religionem pertinentes sapienter moderati sunt. qui *reipub.* & imperia prudenter administrarunt: Sed quis tam præstanti ingenio præditus posset, uel mediocrem partem eorum percensere numerando, qui doctrina excelluerunt? qui in omnibus ingenuis artibus sic uersati sunt, ut hanc urbem suis humeris in cælum sustulerint, & nullus locus in terrarum orbe sit reliquus, in quo

in quo non omnium doctrinarum ciues uestri uestigia impresse-  
 rint, quæ nunquam uetustas delebit, sed quotidie pulchriora ap-  
 prebunt. quantumq; diuturnitas detrahet, tantum afferet lau-  
 dibus. Verum de his uiris egregiis, neq; quomodo dicam, neq; quo-  
 modo taceam satis habeo constitutum: si enim taceo, uel præci-  
 puam orationis partem relinquo, sin autem dico, uereor, ne, nisi  
 plerosq; commemorem, qui præstantissimi fuerunt, plures ciues ue-  
 stri se lesos putent. Sed animaduertendum arbitror, eos, quos præ-  
 teribo, hoc laudationis genere non egere: cum præsertim à lauda-  
 tis laudati sint, eorumq; nomina immortalitati sint commendata.  
 Tantum aliquos nominabo, ne eam partem, quæ maximè ad ue-  
 stræ urbis felicitatem pertinet, omisisse uidear. In Theologia igitur  
 multi præclari admodum fuerunt, Antonius ab Eugenio Pon-  
 tifice Maximo urbis huius Archiepiscopus creatus, qui multis  
 uoluminibus magnam rerum sacrarum uarietatem copiosè, & do-  
 ctè tractauit, Rubertus Bardius sua memoria Theologorum, ac  
 Philosophorum princeps, qui in Parisiensi Academia per qua-  
 draginta annos honorificè uersatus est: Bartholomæus Lapaccius  
 ex Prædicatorum ordine, qui in Concilio Florentino cum subti-  
 liter de spiritus sancti à filio productione contra Græcos disputa-  
 ret, coegit eos publicè ueritatem fateri. Leonardus Statius eiusdè  
 ordinis Præfectus Generalis, qui in Concilio Constantiensi ad eli-  
 gendum Pontificem suffragium Antistitum omnium consensu iu-  
 lit. Ex hac uerò nostra Franciscana familia, etsi quamplurimos  
 possem recensere, duos tantum nominabo Ioannem. s. qui dicebatur  
 Parentis, uirum admodum egregium, qui post D. Francisci mor-  
 tem primus Minister Generalis creatus est, nostra uerò memoria


Raphaelem



Raphaelem Samminum Theologum insignem, ac oratorem euangelicum adeò nobilem, ut nulla ferè sit Italiae ciuitas in qua summo Dei honore, ac huius urbis existimatione non sit concionatus: Sed dici non potest, quod, & quàm magnis Theologis singulis ætatibus hæc ciuitas redundauerit, & quàm præclara opera ediderint: Quanta uero illustrium Iurisconsultorum floruerit, nihil attinet dicere, cum uel ex hoc maxime intelligi possit, quòd Florentia hæc ciuitas optimis temperata sit institutis, & legibus: Accursium tamen ex tam multis tantum proponam, qui tam nobilis Iurisconsultus extitit, ut ornamentum non modo huius urbis, sed totius Italiae fuerit: Nam domus eius tanquam oraculum Italiae eo tempore uisebatur. Testis est Bononiensis Academia, quam res annos illustrauit, cuius magna quotidie frequentia ciuium, ac summorum hominum splendore ianua, & uestibulum celebrabatur: Hic uolumina multa exquisita doctrina referta in lucem edidit, quibus illius nomen per ora uirorum perpetuò uolitabit. Philosophos uerò, ac ex iis non nullos etiam Medicos multos possem nominare, qui cum antiquis illis præclaris uiris comparari posse uidentur: Quanto enim in honore habitus est. Marsilius Ficinus uir ingenio, & doctrina singulari? qui diuini Platonis philosophia sic fuit eruditus, ut alter platonicus Plotinus ad uitam reuocatus putaretur, qui pulcherrimis quibusdam elucubrationibus nihil non doctè grauius, & ornate pertractauit, cui maiorum uestrorum memoria prima Italiae Gymnasia credita sunt. Quanto patriam affecit honore Donatus Acciaiolus in philosophia maxime exercitatus, & græcis literis instructus, qui pulcherrimos in Ethica Aristotelis commen-

DE FLOR. FEL.

arios conscripsit, & Annibalis, ac Demetrii uitas à Plutarco  
 græcè scriptas in latinū conuertit: Incredibile uerò est quàm egre-  
 gius, & Philosophus, & Medicus Thadæus Florentinus fuerit,  
 quàm clarus, & illustris, cum Bononiæ publicam legendi pro-  
 uinciā habuit. Etenim obscura, & recondita omnia loca Hip-  
 pocratis, & aliorum in medicina principum enucleauit, ac ex-  
 actè explanauit, ut alter haberetur Hippocrates. Hic Apho-  
 risinorum, et Prognosticorum Hippocratis interpretationem con-  
 fecit, duasq; expositiones diuersis temporibus accommodatas super  
 Galeni librum composuit, tum librum de sanitate conseruanda,  
 tum ad uarias ualitudines curandas plurima consilia, qui ob eius  
 celeberrimam famam ditissimus est factus: Nam à Principibus  
 Italiæ uocatus quinquaginta numos aureos in mercedem diurnam  
 pacisci consueuerat: ab Honorio uerò IIII. Pontifice Maximo  
 semel accersitus non prius accessit, quàm centum aurei numi sin-  
 gulis diebus statuerentur. Hunc æquissimis passibus Thomas fi-  
 lius, qui utile, & ingeniosum de arte medendi compendium edidit,  
 sequutus est, & Torrigianus Valorius discipulus, qui cum super  
 Auicennæ præfationibus, ac Tegni Galeni mirificè scripsisset,  
 plusquam commentator appellatus est. Sed quid dicendum de alio  
 Thadæi discipulo Dino de Carbo nuncupato, qui tanta doctrina  
 fuit præditus, ut ingeniosissima in Auicennam ediderit commen-  
 taria, & in Galenum de complexionis diuersæ malitia, Hippo-  
 cratem de natura factus, ac in philosophia uarias, & pulcher-  
 rimas quæstiones? Quid de Nicolao Falcuccio, qui super totā me-  
 dendi artem magnum, & egregium opus reliquit? Non est præ-  
 screundus. Ioannes Rosatus Philosophiæ, ac Medicinæ peritissimus



simus, qui in celeberrimis Italiae Academiis multos annos publicè legit, & sic in disputationibus perpugnax, & subtilis habitus est, ut peracre illius ingenium omnibus admirationem moueret. At Paulus Mathematicus excellentissimus, ut eius scripta declarant, magno huic urbi ornamento fuit. Et Leo ex Albertorum familia non minori Geometria, Astrologia, Musica pingendi, & sculpendi facultate instructissimus, qui non nulla uolumina de Architectura sui ingenii testes reliquit. Si autè animo ac ratione lustrabimus ueterum monumenta, si historias perlegemus Florentinam eloquentia, Poetica (Roma excepta) omnibus Italiae ciuitatibus, ac etiam transalpinis præstitisse facile reperiemus, plurimumq; Italiam huic urbi debere, quòd eius ope studio græcæ, & latinæ literæ in lucem sunt reuocatæ. Primum ex hac urbe Claudianus Poeta celeberrimus oriundus fuit: Nam eius pater cum in Aegyptum profectus esset propter maximas Italiae perturbationes ibi hoc filio est auctus, qui Theodosii Imperatoris tempore floruit. Dantes uero Aldigerius poeta quantam attulerit existimationem, quantumq; non modò uestre patriæ, sed uniuersæ Italiae ornamentum, facilius est ingeniosis iudicare, quàm mihi in presentia explicare, eius enim graues, & magnificæ uirtutes eiusmodi fuerunt, ut omnes uel principes, uel doctissimi uiri illius excellentiam admirarentur, nescirentq; dum admirarentur, cui primas darent, iudicio an consilio, prudentiæ an sapientiæ, rationi, an rerum usui modestiæ, an fortitudini, religioni, an integritati, poetiæ, an eloquentiæ Theologiæ, an philosophiæ: harum enim unaquæq; ad eò eminebat, ut certatim propemodum se efferrent, & altera alterum superare miteretur, essetq;

essetq; dubius laudum illius spectator, utrum alteri proponeret? Extant huius uiri ueneratione digni præclara, ac insignia uirtutum monimenta patrio sermone conscripta eiusmodi uersibus, ut nihil reconditum, nihil sublime, nihil diuinum excogitari possit, quod iis non contineatur. Sed ecce Paulo post aliud lumen huius ciuitatis Franciscus Petrarca, qui tanto uirtutum splendore nituit, ut potius excogitandum esset, quæ ex referta laudum eius silua sine piaculo præteriri deberent, quàm opus esset dicenti perquirere, quæ accurata oratione exornari possent: fuit enim eximio ingenio, & ad optima quæq; studia maximè idoneus: ad philosophiam tamen, quæ de moribus est, & Poeticam in primis propensus. Itaq; Poeta sic illustris factus est, ut nihil aduersum nostratibus uerbis factorum dignitatem, ac grauitatem, nihil ad rerum dispensationem, nihil ad numerum, & compositionem, nihil ad ornamentum addi possit. Quamobrem in magnam estimationem ascendit, & ab Vrso Anguillaræ comite, uel, ut nō nulli asserunt, à Stephano Columnensi collega senatoria potestate tum Romæ prædito, Benedicti XII. Pontificis Max. consensu, Roberto Siciliæ Rege approbante, præsentè senatu, omniq; Romana nobilitate laurea, poeticaq; corona decoratus est, cum nondum sextum, & trigessimum annū attigisset. Huius uiri similis fuit Faccius Ubertius, qui cum admodum celeberrimus Poeta, & optimus Geographus fuisset, laurea corona donatus fuit. Leonardus uerò Datus quàm ornato stilo elegias, et tragædias fecit? Aloysius Alamannus Poeta nobilis, qui apud Gallorum Regem propter eius singularem eruditionem honorificè uixit, quàm ingeniosum de agricultura opus Helruscis uersibus cōscripsit? qui

etiam solutorum uersuum primus inuentor fuisse dicitur. Quid nō potuit Petri Criniti ingenium illius doctissimi Politiani discipuli, qui & poetica quaedam, & circiter uiginti libros de honesta disciplina, & alios quinq; de ratione dicendi Poetarum doctè composuit? Quid non Gabrielis Landini, qui multas Odas in Ambrosii, Hieronymi, et Augustini laudem accuratè scripsit? Quid non Fabii Segnii eruditio, qui tam elegantia, ornata, atque (ut aiunt) bene tornata carmina lueris consignauit? Oratorum uerò disertorum, ac eloquentium, etsi ubiuis gentium semper mira fuit paucitas: propterea quòd maius est hoc quiddam, quàm homines arbitrantur, & pluribus ex artibus studiisq; collectum: Florentiæ tamen præ cæteris ciuitatibus eloquentiæ studia uiguerunt: nulla enim urbs ab antiquis usq; temporibus tanta eloquentiæ doctoribus premia proposuit: atq; (ut antiqua illa tempora ornata) patrum, ac auorum uestrorum memoria, quot grauissimi uiri, & omni laude cumulati oratores accersiti, ac magnis premiis inuitati in hanc præstantissimis ingeniis refertam urbem uenerunt? Huc Ioannes Rauennas Rhetor magnus, et nobilis accessit, à quo (ut testatur Leonardus Arelinus eius discipulus) primum eloquentiæ studia longo postliminio in Italiam sunt reuocata: huc Argyropylus Bizantius summus philosophus, & orator, ut græcis literis Florentinam iuuentutem erudiret: huc Emanuel Crisoloras omni doctrinarum genere clarus publico stipendio uocatus: huc Constantinus Lascar: huc Leonardus Arelinus: huc postea Politianus uir doctissimus: huc demiq; oratores optimi dicendi magistri se tanquam alteras Athenas contulerunt: Tunc ex omni regione bonarum artium studiosi Petrus Paulus Vergerius Iustopolitanus,


DE FLOR. FEL.

nopolitanus, Omnibonus Vicentinus, Guarrinus Veronensis, Carolus Aretinus, Franciscus Barbarus, Franciscus Philelphus, tunc phœnix illa Picus Mirandulanus, ac alii ferè innumerabiles, quos non necesse est enumerare, Florentiam tanquam ad mercaturam bonarum artium sunt profecti. Quare non est mirandum, si singulis ætatibus oratoribus floruit, & optimarum disciplinarum scriptoribus. Etenim Poggius Bracciolinus quàm doctus, ac disertus habitus est? qui propter eius excellentem eruditionem, & dicendi leporem tum Romæ, tum Constantiæ, ubi synodus Generalis habebatur, aliisq; in locis maximis est affectus honoribus? qui cum adhuc in concilio esset, Quintilianum omnino amissum in cœnobio quodam propè Constantiam reperit: Huc Florentia propter ingenii, & eloquentiæ ipsius amplitudinem, cùm per quadraginta annos in Romana, ut aiunt, Curia scriptoris munus optimè gessisset, ad se uocatum summo honore excepit, hic multas funebres orationes elegantes, aliasq; complures, & epistolarum librum perscripsit, Dionysium, & nonnullos alios Latinos fecit. Collucius uerò salutatus quantum ingenio ualuit? qui cum summa elegantia, & subtilitate, ac plenas philosophiæ studii epistolas exararet, eiusq; stilus, & grauis, & sententis repletus esset, Mediolanensium Dux dicere consuevit plus Collucii epistolas sibi, quàm mille equites obesse. Magna Guidoni Caualcantio habenda est gratia, qui offusam eloquentiæ caliginem, discussit, quiq; regulas quasdam uernacula lingua scribendi edidit: Quapropter magno patriæ decori fuit: At nec minori Bartholomæus ex eadem familia, qui tanquam plenus, ac perfectus orator, dilucidè, & exactè Rhetoricum opus perfecit Helruscia lingua,



gua, in quo loca omnia Aristotelis, Ciceronis, et Quintiliani pla-  
 na fecit, ut nihil illustrius inueniri possit. Sed quid desiderandū  
 reliquit, Leonardus Brunus, qui primus ferè cognitione, & exer-  
 citatione antiquarum literarum memoria latinæ linguæ rubiginē  
 absterfit, atq; in pristinum nitorem restituit? Christophorus ue-  
 rò Landinus ingenuis artibus instructus, quod specimen suæ uirtu-  
 tis non dedit, cum super Dantis opera subtilia, & limata commen-  
 taria conscripsit, et alia multa in lucē dedit? Quid absuit Ma-  
 theo Palmerio philosopho, oratori, ac historico? Non ne in Con-  
 cilio Florentino in præclaris uiris est repositus? Hic historiam  
 Eusebii, ut diligentissimus emendauit, eamq; & ab antiquis tem-  
 poribus ad suam usq; ætatē perfecit. Quid summis ornamentis ho-  
 noris, fortunæ, uirtutis, et ingenii omisisse uideri potest Cosmus Pa-  
 zius Archiepiscopus Florentinus ex Leontis x. sorore ortus, qui  
 Titium maximum Platonium è græco in latinum transtulit?  
 Quam egregia literati, & ingeniosi uiri signa dedit, cuius frater  
 Alexander, qui Aristotelis Poeticum opus latinum fecit, & in  
 Tragediis conficiendis mirum in modum claruit? Quid in Nico-  
 lao Nicolio contemni potuit, qui magna diligentia, ac studio uete-  
 ra inuestigauit, ac sua memoria alter Lucullus, et Mæcenas fuit?  
 Quid in Virgilio Marcello à secretis Reipublicæ, qui Dioscoridē  
 in latinum uertit? Quid Iacobo Nardio defuit, qui uir doctus est  
 habitus, & Titium Liuium in Hetruscam linguam redegit, & li-  
 mato stilo suorum temporum bella literis prodidit? Quid Ma-  
 manno Rinuncino, qui Philostratum latinum fecit? Sed quid di-  
 cam de Francisci Guicciardini singulari eruditione, ac consilio?  
 qui utrum magis ad ciuitates, & prouincias gubernandas, ac sua  
 prudentia

prudentia moderandas, an ad historias nobili, & ornato stilo  
 conscribendas non satis certum habetur: In utroq; tamen cum ex-  
 celluisse constat: Nam & totam ferè Galliam togatam pruden-  
 tissimè administravit, & historias uulgari lingua ualde egre-  
 gas conscripsit: Nihil dicam de Bartholomæo Scario homine di-  
 fertissimo, & inter musas nutrito: Nihil de Lapo Castilionio,  
 qui in uertendis non nullis Plutarchi uitis in latinum perpolitus  
 fuit: Nihil de Pallante Strozio, qui præter constantiam, quàm  
 in exilio ostendit, & græcis, & latinis literis ualde fuit eruditus,  
 assidue in literis est uersatus: Nihil de Bernardo Rucellaio no-  
 bili historico: Nihil de Donato Ioannotio uiro optimo, & ho-  
 mine literato, qui Rempub. Venetam miro ordine descripsit:  
 Nihil de Cosmo Bartholio, qui plura uolumina in lucem pro-  
 tulit, ac postremò de metienda latitudine, longitudine, & altitu-  
 dine, quod literatis ualde probatur: Nihil deniq; de Alberto  
 Vespuccio cosmographo præclaro, qui tantum apud Lusitanie  
 Regem ualuit, ut non nullas ei naues crediderit, quibus regiones  
 incognitas reperire posset. Complures alios, ne longior sim, præ-  
 tereo, qui quolibet doctrinarum genere uiguerunt: At senem  
 hunc summa ueneratione dignum omnibus liberalibus artibus or-  
 natissimum Petrum Victorium silentio transire nefas ducerem:  
 qui enim tantopere patriam illustrat, ac ciuitatis ornamentum  
 retinet, tertio quoq; uerbo honorificè esset appellandus, non modo  
 ut aliqua pars gratia referatur, sed etiam, ut cæteri ad eiusmodi  
 uiros imitandos tanquam exempla sibi proponerent: huius gra-  
 tissimi uiri interiorum, ac reconditarum literarum eximieq; ele-  
 gantie dulcedine commoti, atq; allecti uiri studiosi tum ex Italia,





eum ex transalpinis ciuitatibus Florentiam tanquam ad purif-  
 simam ex hoc uberrimo fonte scientiam hauriendam multis, ac  
 magnis periculis aditis uenerunt: edidit autem multa, ac præclara  
 uolumina, quibus & nomen suum, & familiæ immortalitati cõ-  
 mendauit. Mitto ingenio, ac latinæ, & hetruscè dicendi facul-  
 tate summos uiros uiuentes, atq; florentes, quibus certè absen-  
 tibus sua laus, locusq; non defuisset: Sed cum intelligam pruden-  
 tes homines in os cum laudentur ægerrimè pati consueuisse, illos  
 debito potius testimonio defraudo, quàm ab isto loco intempe-  
 stua laudatione offensos dimittam. Tantum dicam nullam esse ci-  
 uitatem, quæ tam insitam, atq; innatam ad eloquentiam, &  
 ad omnes ingenuas artes capeffendas propensionem habeat, quan-  
 tam hæc ciuitas quippe cum uel in pueris, quædam eloquentiæ scin-  
 tillæ cernantur, ex quibus, quòd pleriq; bonis artibus, dum teneri  
 sunt, inficiuntur ad maiora ueniunt paratiores. Quare hic elo-  
 quentiæ Academia floret, in qua tot uiri in quaq; scientia præ-  
 stantes uidentur, ut Athenæ reuiuiscere uideantur. O uerè fe-  
 licem urbem, in qua Deus ornamenta omnia congesit, quam ue-  
 luti sideribus cælum uiris egregiis collustrauit, quam in tantâ ad-  
 duxit amplitudinem, ut uerendum non sit, ne perpetuò beata fu-  
 tura sit. Quoniã autem, ut in corpore quædam sunt, quæ ad uitæ  
 conseruationem necessaria sunt, quædam ad usum à natura sunt  
 donata, ut manus crura, pedes, & quæ sunt intus in corpore, alia  
 uerò quasi ad quendam ornatum, ut cauda Pauoni, pluma uer-  
 sicoloribus Colúbis, uiris mãmæ, atq; barba, sic ut ad huius urbis  
 felicitatem nihil posset accedere, non modo quæ intima, & neces-  
 saria sunt, est Deus largè, liberaliterq; elargitus, sed quæ ad or-

natum

## DE FLOR. FEL.

natum pertinebant, minimè negavit: Nam in Musica, quæ tanto in pretio apud græcos est habita, ut cum 7 hæmisticles lyrâ in epulis recusasset, habitus fuerit indoctior, multos hæc ciuitas excellentes procreauit, ex quibus Franciscus cæcus Landinus tantam sibi gloriam comparauit, ut Venetiis omnium musicorum consensu, qui eò undiq; confluerant, à Cipri rege, ac Venetiarum principe instar poetæ coronatus sit. Antonius uerò ex organis ductus, quòd huiusmodi (credo) instrumentum in lucem reuocauit, celeberrimus extitit musicus. Quare ex omnibus transalpinis prouinciis instructissimi musici ad eum inuisendum accesserunt: Nò mediocrem laudem adeptus est Annuccia, qui quædam ad musicam pertinentia pulcherrima in lucem dedit, cui facultati magnum etiam lumè attulit Petrus Aaron, qui Venetias profectus plurima abdita, ac recondita summo iudicio patefecit. De huius uerò urbis Pictoribus, ac Fictoribus multa, ac magna dici possent, cū nulla sit in toto terrarum orbe, nec unquã fuerit, qui tot, tantisq; abundauerit, qui cum antiquis illis Zeusi, Polygnoto, Timante Nicomacho, Protogene, Apelle, atq; Lysippo meritò possunt comparari. Ita enim ingeniosi, ita excelsi, atq; exacti fuerunt, ut orbi admirationem non mediocrem attulerint: Propterea quòd non modo has artes per multos annos sepultas, ad uitam, ut ita dicam, reuocarunt, sed eas perfecerunt, atq; in summum honorem adduxerunt, ex quibus quam Michael Bonarotius singularis, & egregius fuerit, silentio prætermittam quod à Benedicto Varchio plurimis, ac grauissimis artibus, atq; uirtutibus instructo, & ornato copiosè eleganter, & cumulatè, quæ ad illius laudem spectabant, funebri oratione explicata sunt.

Nulla

Nulla igitur scientia, nulla ars libero homine digna, reperiri, aut excogitari potest, quam *Florentinorum* ingenia, aut accepta ab aliis non fecerint meliorem, aut non inuenerunt per se sapientius, & solertius, quam aliae nationes: Fuit enim semper incredibilis quaedam, & prope singularis, ac diuina uis huius urbis ingeniorum, quibus gradibus in caelum ascendit, de qua honorifice omnes gentes semper loquentur, nec ulla unquam obmutescet uetustas. Ad haec accedunt opes, ac diuitiae felicitatis instrumenta, quibus omni tempore sic ciuitas haec affluxit, ut multi non minus diuites, quam *Crassus* fuerint, ac *Varronis* thesauros habuerint, & sua pecunia exercitus aluerint; fidem huius rei faciunt tot bella priuatorum etiam pecunia gesta: Nam in *Mediolanensi* bello, quod a millesimo trecentesimo nonagesimo primo anno coeptum usque ad quadringentesimum quartum centes decies centena millia, & eo amplius populi tributo persoluta sunt. Non est nunc dicendi locus quantum auri pondus in aliis bellis gerendis impenderit, & in emendis ciuitatibus. *Cortona* a *Ladisla*, *Luca* a *Maſtino Tyranno*, *Pisis* a *Gabriele Maria Ioannis Galeatii Mediolanensium ducis filio illegitimo*, *Aretio* a militibus *Ludouici Andegauiae ducis*, qui eam urbem diripere, ac depopulari cogitauerant, *Liburno* a *Genuensibus*, *Castrocaro* a *Bonifacio IX. Pontifice Maximo*; quae urbes, atque oppida emptae sunt, ut aliquando cum pace uiuere in *Heſturia* liceret. Omnes igitur huic cedant ciuitati, fascisque submittant. Ad hanc autem innumerabilem pecuniam, atque opulentiam peruenierunt semper *Florentini* non malis artibus utentes, non fenore, at suis fructibus, & mercatura magna, & copiosa, multa undique apportari iubentes.

multisque

multisq; sine uanitate imperlentes, & liberos, uel fideles seruos  
 nauigatione maria transmittentes: Nam que natio, que gens in  
 Gallis, Germania, Hispanis, uniuersa deniq; Europæ, & partim  
 Asia, & Africa ampla negocia gerit, nisi Florentina? Pecuniam  
 autem tam grandem coegerunt, non auaritiæ causa, qua uul-  
 lum uitium tetrius, non sumptu extra modum produmli gratia:  
 Nam etsi præclaras semper ædificauerunt, & plenas dignitatis  
 domos: pro questu tamen sumptum fecerunt, & adhibuerunt com-  
 moditatis, & dignitatis diligentiam, nec ex domo dignitatem  
 quæsiuerunt: cum non ignorauerint, non ex domo dominum, sed  
 domino domum honestandam. Adhibuerunt igitur modum in  
 sumptibus faciendis, & ad mediocritatem reuocarunt, eandemq;  
 mediocritatem ad omnem usum, cultumq; retulerunt. Id quod uel  
 ex hoc intelligi potest, quod sæpius leges hæc ciuitas tulit, ut or-  
 namenta mulierum tollerentur, & parcius uestibus, cæteroq; cul-  
 tu corporis omnes uterentur: Nam & si Florentia feminas fin-  
 xit natura ad pudicitiam, ad honestatem, temperantiam, atq; re-  
 ligionem, ut uel in fronte, ac uultu has uirtutes præseferant: re-  
 ctè tamen factum putauit si modico uestitu uterentur, aut etiam  
 intra modum, ut mediocritatem seruarent. Sed cum ualde deco-  
 rum sit patere domos illustribus hospitibus, idq; ciuitatibus su or-  
 namento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nõ ege-  
 re, summa semper Florentini hospitalitate, que rectè à Theo-  
 phrasto est laudata, usi sunt: quod enim bonis uiris tribuerunt,  
 ex eo se maximum fructum cepisse, & uoluptatem putauerunt.  
 Quare factum est, ut in quauis regione amicos, & familiares ha-  
 beant: nam in dando munifici sunt, in exigendo non acerbi, in  
 1 2 omniq;

omniq; re contrahenda facites, multa multis de suo iure concedentes. At in calamitosos cum propensissima hæc ciuitas semper suscit, magna in eos usi sunt liberalitate, in eis subleuandis sumptibus nunquam pepercerunt, afflictos periculis, carcere, uinculis liberare non destiterunt, lacrimantibus præ inopia succurrerunt: Hæc non fingo res ipsa iudicat: quoties enim in summa annonæ caritate, quoties in pestilentie temporibus pauperum indigentie opem tulerunt, & uictum suppeditarunt? Quadringentesimo quinquagesimo et sexto anno supra millesimum cum uniuersa Italiæ terra, mariq; bello arderet, & solum à qua inundatum mirum in modum esset, & frumenti, ac omnium segetum summa esset inopia, ne urbis pauperes fame conficerentur, statim ex alienis, & longinquis locis magnam frumenti copiam exportari iusserunt, & exhausto ærario quingentos florenos singulis mensibus pauperum esurici subleuandi causa impenderunt: decem uerò post annos ciu eadem fames esset, eodem modo inopum calamitati succurrerunt: Distribuendi autem facultas Archiepiscopo data est. Eandem met charitatem pauperibus ostenderunt iisdem ferè temporibus, cum pestilentia omnia uastata, ac deserta essent: ne morbo infecti miserabiliter perirent, dederunt tria millia florenorum, ut Archiepiscopus loco, et tempore opportuno male affectis uictum subministrandum curaret: Hanc semper Florentia consuetudinem, & morem seruauit, ut pauperes labentes exciperet, corruere non sineret, fulciret, sustineret re, foruinis, hodieq; sustinet optimi huius Ducis præsidio, ac fauore, quo nihil benignius, nihil liberalius in pauperes fieri potest, cui in angustiis, ac difficillimis superioribus temporibus in summa caritate nihil fuit longius, quam ut mari magna

## DE FLOR. FEL.

*magna frumenti copia uehi iuberet, ne egentes fame opprimerentur. Scitto quàm liberalis, ac largus in priuatos homines colamitosos secreto extiterit: Scitto multos priuatos ciues, quos commemorarem, nisi uererer, ne eorum pudorem offenderem, qui subue-nerunt, atq; abiectos subleuarunt. Scitto multas nobiles, graues, ac religiosas matronas, quæ nullum finem faciunt, inuisendi, atq; aliquo quotidiano munere consolandi modo hanc, modo illã graui morbo affectam mulierem, ac cum filiis iacentem erigendi, ut nõ modo illi opem, ac salutem ferant, sed cum ipsis laborantibus, uel ipse infirmæ fiant, casumq; , atq; calamitatem collachryment. Ex quo fit, ut in paucis admodum fames Florentiæ dominetur. Hoc est uerum liberalitatis genus Deo, Diuis hominibus in primis probatum, hoc sine dubio ad supremam illam felicitatem perducit. Sed quid ego hæc, quæ minima præ aliis uidentur, con-secror? Grauem solidam, ac expressam non adumbratam es-figiem, ac faciem huius ciuitatis perpetuæ liberalitatis, & bene-ficentia oculis cernimus communi totius Italiae, ac exterarum gen-tium fama celebratæ. Quid enim præferunt tot xenodochia, & publica illa ampla, & magnifica loca, quibus hospites, & pere-grini pauperes, & infirmi excipiuntur tanta diligentia, studio, & assiduitate gubernata? Quid tot possessiones ciuium illis te-stamento legatæ? Quid sollicitudo illa incredibilis nutriendi, atq; educandi pueros, ac puellas desertas, & destitutas? Quid sedu-litas, ac uigilantia illa perennis, & collocandi in matrimonium puellas, ne præcípites dentur, & collocatis pressis filiorum mul-titudine prospiciendi indicat? uestrum profectò misericordiã, ue-stram in filios Dei pietatem. Quid patefaciunt tot sacerdotum, et sacrarum Virginum templa, cœnobis aucta, locupletata,*

& omnibus bonis ornata? Vestram uestræq; huius dulcissimæ Pa-  
 triæ liberalitatem cum religione coniunctam in luce collocatam,  
 & ad sempiternam memoriam temporis propagatam. Quæ ci-  
 uitas Italiæ, quæ transalpinarum si illarum Status, ac huius ue-  
 stræ diligenter attendatur, si comparari Florentiæ in hoc genere  
 uoluerit in pauperibus alendis, in calamitosis subleuandis, in am-  
 plissimis templis ædificandis, in religiosis summâ cum dignitate, et  
 beneficentia tractandis, quæ non inferior longo interuallo sit? uin-  
 cant uos numero Hispani, uincant robore Galli, calliditate Pœni,  
 artibus Græci, aliquo alio Italiæ prouinciæ: nunquam tamẽ pie-  
 tate in Deum, ac religione nũquam liberalitate in egentes, ac reli-  
 giosos superabunt. Ad te conuerto orationẽ meam, Franciscana  
 mea familia, tu nosti, tu satis superq; in te experta es, quàm libera-  
 lis, quàm munifica, quamq; benigna sit hæc ciuitas, quæ magna, et  
 innumera ab ea beneficia accepisti: Etenim primum te in sinum,  
 ac gremiũ suum recepit, magnificũ hoc templũ tibi dono dedit, pul-  
 cherrimũ tibi domiciliũ ædificandum curauit, tui semper magnam  
 curam gessit, tua officia, atq; partes suscepit, non modo hic, sed in  
 omnibus locis sub eius ditione positis te sartã, tectãq; conseruauit,  
 te usq; ad hanc diem aluit, cuius Princeps sic se tecũ gessit, ita ma-  
 gnificè, ac munificè, ut nullum officium desiderari, uel excogitari  
 possit, quod ab illo in te profectum non sit: Quantũ præterea Spi-  
 nellæ familiæ, quæ tibi propemodum hæc ocia fecit, quantũ Me-  
 dicæ, & alius compluribus familiis, quæ tibi usui fuerunt debeas,  
 ipsa met non ignoras. In hoc uerò Comitiorum nostrorum tem-  
 pore quod genus beneficii huius ciuitatis Principes, ac non nulli  
 alii uiri illustres in te non contulerunt? quo genere liberalitatis in

DE FLOR. FEL.

te uſi non ſunt? hi uerò ciues uniuerſi, quos, ſi liceret, ſingulos nomina rem non ne, pectus, ut dicitur, apertum oſtenderunt? nam que ad uicluſu pertinent, abundè, ac largiter, & opiparè tibi ſubmiſtrarunt, nec ſumptui, et impenſe pepercerunt, in domos ſuas hilari fronte, ac læto uultu receperunt. Quid deniq; exoptare potuiſti, quod non cumulatiuſ, liberaliſ, beneficiuſ ſis conſecuta? Nihil profectò eſt, ſi circumcirca proſpiciamus, quod non uobis nos plurimum debere ſignificet, parietes mediſ fiduſ iſti, tecta, hic locus, in quem conſcendi, hic aer, omnia deniq; ad referendam gratiam, uel ſaltem habendam inuitare uidentur. Quare ciuitas nobiliſſima, deq; nobis optimè merita, noſtræ eſſent partes eadem menſura reddere, qua accepimus, ut ſentit Heſioduſ, aut etiam cumulatiore, ſi fieri poſſet. At quoniam tanta eſt magnitudo ueſtrorum in nos beneficiorum, quanta animo uix capi poteſt, nec id circo perinde ac uellemuſ, ſoluendo ſummuſ, in primis Paſtor noſter Antoniuſ Auguſtanuſ, qui benignitati ueſtræ ſe deuinctuſ confitetur, uniuerſe noſtræ Familie, patreſ, ac fratres, noſ deniq; omneſ, quibuſ immortalia ueſtra beneficia ſcripta ſunt in animiſ, gratiaſ, non quaſ debemuſ, ſed quaſ poſſumuſ ſapientiſſimo, ac benigniſſimo Duci, eiſq; humaniſſimo Franciſco filio, uniuerſe ciuitati publicè, & priuatim agimuſ, & habemuſ: ueſtra beneficia cognouimuſ, cognita libenter accepimuſ, accepta ſeruabimuſ, ſeruata beneuolentia, ac grati animi memoria proſequemur, Deumq; Opt. Max. Diuoſq; omneſ pro huiuſ urbiſ Principum, ac ciuium ſalute, et incolumitate aſſiduè precabimur, huiuſq; officiū Principem ſemper locum obtinere conabimur, & quantum uoce, quantum lingua, quantum aliqua, ſi qua erit in nobiſ;



## B. BAPHII LVCIN. ORATIO.

nobis, dicendi facultate, poterimus, tantum nos ad uestre urbis amplissimæ felicitatis, eiusq; nobilissimi nominis, & memoriæ prædicationem perpetuam conferemus: Te enim Florentia ex clarissimis ortam esse parentibus, tibi patriam locum Italiæ florem, atque ornamentum contigisse, tibi religionem, ac in Deum potissimum curæ fuisse, eamq; ob causam res amplas, ac magnificas prosperè, ac feliciter gessisse, & ad ea peragenda assiduè fortissimos duces, præstantissimos, ac clarissimos consiliarios habuisse, te eandem pacis, & concordie studiosam semper fuisse, te immortalitate dignis ingenis floruisse abs te omnium scientiarum, atq; artium professores tanquam ex omnium artium officina esse profectos: tibi deniq; humanitatem, benignitatem, ac bonitatem in omnes, hospitalitatem in alienos, in pauperes, ac religiosos, in primis liberalitatem tuam omnibus in terris commemorabimus, te meritò felicissimam celebrabimus, te beatissimam uerè decantabimus. Uuite igitur felices, ciues optimi, & Deus Opt. Max. Duiq; omnes, uestris Principibus, uobis omnibus liberisq; uestris, posterisq; eorum sint propitii, sint secundi, sint perpetuò præsentés. Dixit.

Deo honor, & gloria.



